



**Belli Dithmarsici ab inclyto Daniae rege Friderico II. et  
illustrissimis Holsatiae Ducibus, Iohanne et Adolpho fratribus,  
gesti, Anno post Christum natum M.D. LIX. uera descriptio,  
Duobus libris comprehensa.**

<https://hdl.handle.net/1874/427510>

BELLI DITHMARSICI

AB INCLYTO DANIAE REGE FRIDERICO II. ET ILLUSTRISSIMIS HOLFATIAE Ducibus, IOHANNE ET ADOLPHO fratribus, gesti, Anno post CHRISTVM natum M. D. LIX. vera descriptio, Duobus libris comprehensa.



BASILEAE, PER SAMVELEM Regium. Anno M. D. LXX.

BELLI DITHMARIUM

AB INCLYO DA

IN AR REGE FERIBUS

IT TITUTITIS - HOC

INCLYO DA

IN AR REGE FERIBUS

IT TITUTITIS - HOC

INCLYO DA



INCLYO DA


IN AR REGE FERIBUS

IN COMMENDATIONEM HV-  
ius historiæ, ad Lecto-  
rem.

**S**I Deus est autor legum, mortalibus æquum  
 Quæ ius constituunt, & malefacta uetant:  
 Ille magistratum quoq; legibus addidit idem,  
 Qui curam uindex indubitatus agat.  
 Hunc nihili quisquis facit, aspernatur & odit,  
 Peccat in æterni iussa seuera Dei.  
 Nec sibi fert impune: sed ingens numinis ira,  
 Et pede subsequitur debita pœna cito.  
 Et prior hoc, & nostra recens tibi comprobat ætas:  
 Si pctis, exemplum uel Liber iste dabit.  
 Hic tibi de bello memoratu digna recenset,  
 Quod susceperunt rexq; ducesq; duo:  
 Ille suos Danos sumptis regit inclytus armis,  
 Hi celebres Cimbros sub ditione tenent.  
 Sanguine descendunt uno, labor unus & illis,  
 Ut meritis uirtus sternat ad astra uitam.  
 Gens habitat septem prædura sub axe Trionum,  
 Quâ claudii Cimbros insula penè freta.  
 Terra quod undosas habeat depressa paludes,  
 Nomen Dithmarsis uox genuina dedit.  
 Hi Dominos ferro pepulerunt finibus olim,  
 Nec ueriti illata tollere morte, suos.  
 Hinc multos parta pro libertate per annos  
 Fortiter hostiles sustinuere manus.

Lubrica nec cœptis aberat fortuna malignis,  
 Successusq; graui non sine strage dabat.  
 Donec, ubi rebus nimium cœpere secundis,  
 Vberis & terræ luxuriare bonis,  
 Impia lasciuum comitata superbia luxum,  
 Et scelerum passim magna caterua fuit.  
 His Deus exarsit iustam inflammatus in iram,  
 Pro meritis pœnas imposuitq; graues.  
 Nam ius curabant crescente libidine nullum,  
 Et leges illis non nisi ludus erant.  
 Nec satis est uisum, regi ducibusq; propinquis  
 Illorum terris clade nocere data:  
 Quinetiam indignis ausi profcindere dictis,  
 Quælia nec uulgus mobile ferre solet.  
 Et tamen his rerum tunc debebantur habena,  
 Et poterant æquo subdere iure sibi.  
 Ergo dolor tandem stimulans & conscia uirtus  
 Impulit, & uerum robur in arma dedit:  
 Ut refrenarent sceleratos uiribus hostes,  
 Affererentq; suum Marte fauente decus.  
 Sic miseri magna domiti cum cæde suorum  
 Principibus uictas exhibuere manus:  
 Et fractis animis & libertate relicta,  
 Legitimum docti sunt tolerare iugum.  
 Hoc Liber enarrat tenuis sermone Latino,  
 Et sequitur præter remq; fidemq; nihil.  
 Nam bonus & ueri est obseruantissimus, hæc qui  
 In seriem primus contulit acta libri.

Nec tantum bello praesens interfuit isti,  
 Sed quoque gestorum pars quotacumque fuit.  
 Praeterea gentem Liber hic describit et oram,  
 Fluctibus includit quam mare penè suis.  
 Et res adiungit gestas et Martia bella,  
 Aetas quae uidit tempore prisca suo.  
 Hunc animo grato, lector sincere, laborem  
 Suscipe, nec fructu destituere tuo.  
 Disce magistratum colere, et non spernere leges,  
 Ne grauis affligat uindictis ira Dei.



STRENO ET NO-  
BILI VIRO, D. HENRICO

*Ranzouio, Inclyti regis Daniae in duca-  
tibus Holsat. Slesuic. & Dithmarsiae vi-  
cario prudentissimo, Consiliario & prae-  
fecto arcis Segebergae, Domino ac pa-  
trono suo plurima fide ob-  
seruando.*



VI olim ueterum,  
Henrice Ranzouiuir  
amplissime, Histo-  
rias siue res gestas temporum  
suorum ad utilitatem poste-  
riorum literis prodiderunt, eo-  
rum pleriq; aut ea, quæ scri-  
pta sunt ab illis, gesserunt ipsi,  
aut ab alijs geri coràm inspe-  
xerunt, ex quo & Historiæ ap-  
pella-



pellatio nomen accepit. Aut enim administrabant inferebantq; ipsi bella, aut ab Imperatoribus & ducibus in expeditiones, quasi comites inspectoresq; factorū & consiliorum omnium, unā ducebantur: ut eò certius sanctiusq; in exequenda rerum gestarum serie, procul affectibus omnibus, ueritatem proderent. Ita Xenophon, ita Thucydides, ut de cæteris taceam, bella literis mandabāt, quæ ut essent gesta cōfectaq;, ipsi ignorare haud poterāt: ita C. Julius Cæsar rerum suarum commentarios pura ueraq; simul oratione.

tione, ut Marti Apollinē Mu-  
fasq; sociaret, militans in Ca-  
stris conscribebat. Etenim cū  
historia quasi quædam uitæ  
magistra & speculum esse de-  
beat, in quod intueatur poste-  
ritas, ut præclara inde sectan-  
dæ uirtutis uitiorumq; fugi-  
endorum exempla capiat, di-  
scatq; diuersos bonorū malo-  
rumq; esse exitus, & præterea  
rerum notitia certissimisque  
& maximè necessarijs docu-  
mētis, ad similia belli pacisq;  
opera obeūda, affatim instrua-  
tur, in primis utile & necessa-  
rium est, ut ex fide res gestæ  
commemorentur. Adferunt

quidem delectationem nonnullam uoluptatemq; speciosæ & subtiliter excogitatæ fabulæ, sed magis iuuat, mouet, persuadet, incitat, stimulosq; acres in animis figēs relinquit uera narratio. Neq; tamen inficias eo, quædam à magnis celebratissimisq; uiris ingeniosè & prudenter conscripta esse, quæ tametsi gesta nunquã fuerint, magnam tamen & utilitatem & uoluptatem habeant. Sed hæc ipsi, qui comminiscendo ea ad posteros transmiserūt, neq; haberi undiquaq; ut ueras rerū gestarū cōmemorations uoluerunt, dum

dum omne scriptiōnis suæ te-  
lum ad unicum eum scopum  
intendunt & dirigunt, ut per-  
fectæ absolutæq; numeris o-  
mnibus uirtutis uitiorumq;  
simulachra ob oculos ponāt,  
& uera plurima falsis admi-  
scuerunt. Qui tamen ipsi, si  
eum in modum usumq; uerę  
historiæ argumentum præbi-  
tum fuisset, id scribendo per-  
texere multò maluissent, ut  
nunc Historici potius quàm  
Philosophi uiderentur, & fru-  
ctus quoq; inde maior ad po-  
steros redundasset. Nam quæ  
utiliter ad uirtutem conficta  
conscriptaq; sunt, cum dele-  
tent

ctent afficiantq̄; non nihil animos, ipsæ ueræ rerum gestarū narrationes altè penetrāt, inflammāt animantq̄; ad uirtutem legentes, à uitijs absterrent abstrahuntq̄;, & quemlibet mentibus affectū induūt. Hæ uerò nomine historiæ nūcupātur, qualis illa quoq; est, quam ad te, uir nobilissime, nūc mitto, de bello Dithmarfico, quod Serenissimus Daniæ rex illustrissimiq̄; Holsatiæ principes, anno ab hinc nono, feliciter admodū gesserunt. Cum enim haudquāsim nescius, quanto cum omnium cæterarum artium &

& literarum optimarū, tum  
uel in primis temporum gen-  
tiumq; quarumlibet historię  
cognoscendę desiderio & a-  
more deflagres : existimaui,  
hanc quoque inclyti regis tui  
principumq; illustris uictorię  
qualem cunq; descriptionem  
tenon improbatum. Neq;  
arbitror, propterea eius le-  
ctionem minus gratam tibi  
fore, quod serius, extincta pe-  
nē apud mortales recenti e-  
ius belli memoria, in lucem  
prodeat, cum à nullo, quod  
sciam, tāta rei gestę fide tam-  
que prolixē edita sit. Qui e-  
nim in literas id bellum pri-  
mus

mus ita contulit, ipse consilijs secretioribus rebusq; omnibus ferè interfuit: quod te minimè omnium ignorare iudico, qui multò maximã quoq; partem tuam attulisti. Proinde te, amplissime honoratissimeq; uir, etiam atq; etiam rogatum uolo, ut hanc qualemcunq; lucubratiunculam, quò ab inuidorum iniuria & calumnijs tutior sit, sub nominis tui auspicio & patrocinio in lucem exire patiaris, mea q; studia tibi commẽdata habeas. Vale. Datũ ltzohoe, Calendis Augusti, An. 1569.

Christianus Cilicius Cimber.  
*ad. laur. aulic. ruy*  
*Supp. f. 11. or*

DESCRIPTION  
OF THE  
LIBRARY

THE  
LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM  
OF  
COMPARATIVE ZOOLOGY  
AND ANATOMY  
HARVARD UNIVERSITY  
CAMBRIDGE, MASS.

THE  
LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM  
OF  
COMPARATIVE ZOOLOGY  
AND ANATOMY  
HARVARD UNIVERSITY  
CAMBRIDGE, MASS.

THE  
LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM  
OF  
COMPARATIVE ZOOLOGY  
AND ANATOMY  
HARVARD UNIVERSITY  
CAMBRIDGE, MASS.





[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 lines.]

DESCRIPTIONIS  
 BELLI DITHMARSICI,  
 Liber primus.



Reuiter commemora-  
 turus bellū, quo Dith-  
 marsi, gens Cimbrica,  
 adimpta libertate à  
 Rege Dania ac ducib.

Holsatia, sub iugum  
 redacti sunt, operæ precium me facturum,  
 & rem nō iniucundam Lectori, existima-  
 ui, si primū pauca de eius tēporis in Eu-  
 ropa statu perstringerem: alius deinde ab  
 antiquissimis temporibus repetitam gentis  
 originem, eum incolentis tractum, mores  
 & instituta, ac deniq; quantā olim Dith-  
 marsi crudelitāe & ferociam in Danos  
 Holsatosq; finitimos & populares, exer-  
 cuerint, explicarem. Quo ordine seruato,  
 cum ipsum tempus belli apparebit clarius;

in quod & alia quaedam haud indigna me-  
 moratu inciderunt, tum odiorum initia  
 & incrementa eas inter gentes aperien-  
 tur: ac postrema haec expeditio quanto  
 periculo, labore & difficultate, susce-  
 pta sit, quantumque emolumenti, ipsi  
 subactis hostibus, accesserit victoribus,  
 planius cognoscetur. Itaque eam par-  
 tem seorsum tractans, ne confunderem,  
 liberumque lectori foret, utram ma-  
 lit, legendo expedite cognoscere, pecu-  
 liari libro complexus sum: alitero hi-  
 storiam ipsius belli ex instituto perte-  
 xens. Erat igitur post partam humano  
 generi salutem, annus undeseagesimus  
 supra millesimum quingentesimum, quo  
 hoc in Dithmarsos bellum motum ge-  
 stumque est. Quo ineunte anno, ca-  
 lendis Ianuarij inclytus & laudatissi-  
 mus heros Christianus, eius nominis ter-  
 tius, Daniae & Noruegiae Rex, annum  
 etatis

etatis sextum & quinquagesimum in-  
 gressurus, cum plures dies longo & inue-  
 terato morbo grauius decubisset, ex ca-  
 lamitosa uita huius aerumnis ad caelestem  
 consuetudinem & beatam immortalis-  
 tatem euocatus, placido p̄ssimo que o-  
 bitu naturae concessit. Nam cum per  
 annos plusculos tabida lenta que agri-  
 tudine paulatim confectum, uires cor-  
 poris prop̄e omnes destituisent, ea dem̄  
 magis magis que ingrauescente, dormiens  
 per insomniū monitus est, si qua manda-  
 re suis, & post obitum efficienda in re-  
 gno constituere uellet, mature ut id fa-  
 ceret: ipsi enim post octiduum uita fi-  
 nem imminere. Id somnium suum ex-  
 perrectus Reginae uxori & familiaribus  
 narrauit, quae que à morte sua fieri uo-  
 luit, sacris factis, iussit, praedictoq; tēpore  
 moriens somny fidem impleuit. Qui sanè  
 princeps, ut rebus maximis bello ac pace

præclare feliciterq; gestis clarissimus sem-  
 per habitus est. ita insigni pietatis, iustitia,  
 prudentia, clementia & æquitatis gloria,  
 quæ singula uirtutes mirifice & certatim  
 in eo excelluerunt, cunctis ætatis suæ regi-  
 bus facile queat comparari. Per annos e-  
 nim circiter uiginti & alterum Danici  
 atq; Noruegici regni sceptrum, relictum  
 quidē ipsi uoluntate ac morte parentis Fri-  
 derici, sed continuo eoq; grauissimo qua-  
 tuor ferme annorum bello occupatum de-  
 fensumq; in summa gubernationis tran-  
 quillitate, maximoq; cum regni incremen-  
 to ac commodo emolumentoq; populi, obti-  
 nuit rexitq;. Ipso uerò ingenti omnium lu-  
 ctu ac desiderio rebus humanis exemplo,  
 filius autum referens nomen, qui paucis  
 ante annis, uiuente patre, unanimi om-  
 nium regni procerum atq; ordinum con-  
 sensu rex designatus salutatusq; fuerat,  
 ac iam pridem in summam singularis &  
 præstan-

præstantis indolis, præclarissimæq<sup>3</sup> uirtu-  
 tis spem, cunctorum animos erexerat, in  
 regie dignitatis culmen ac titulos opesq<sup>2</sup>  
 paternas successit. Erat tunc quidem Da-  
 niapacata undiq<sup>3</sup>: tranquillam enim ac  
 florentissimam ipsi pater moriens, ut qui  
 in omni uita pacis studiosissimus fuerit,  
 reliquerat, atq<sup>3</sup> Christiernus ille secundus,  
 Rex olim Suecia, Dania ac Noruegia  
 (qui cum propter interfectos tyrannicè  
 Antistites & Suecorum Danorumq<sup>3</sup> no-  
 bilissimos quosq<sup>2</sup> sublato, eiectus regnis tri-  
 bus septentrionalibus detineretur captiuus,  
 ad nouum aliquem belli motum causam  
 præbere posse uisus fuerat) tertio & uige-  
 simo die post obitum regis, cum octogena-  
 rius esset, uita excesserat, quod audita mor-  
 te Christierni tertij sibi metuisse credere-  
 tur. In uicinis quoq<sup>2</sup> ducatus hostile ni-  
 hil mouebatur timebatúrue: alia uerò  
 pleraq<sup>3</sup> in Europa regiones bellis ac tu-

multibus, cum civilibus tum externis, de-  
 flagrabant. Gerebatur bellum atrox in-  
 ter Philippum Hispaniarum & Hen-  
 ricum Gallia reges, commissio que cru-  
 ento utrisque praelio ad Sancti Quinti-  
 ni oppidum, in Rhemēsi provincia, (quod  
 oppidum docti putant Samarobrinam ue-  
 teribus fuisse, C. Caesaris hybernis & con-  
 uentu Gallorum olim ibi indicto cele-  
 brem) magna strages edita est. Etsi  
 uerò complures utrinque & casi & ca-  
 pti sunt, Gallus tamen maiorem ea in  
 pugna cladem accepit, amisso in primis  
 insigni nobilitatis flore, ac præcipuis bel-  
 li ducibus regniq; proceribus captis.

Quam ob causam & iniquioribus pau-  
 lo conditionibus pacem cum hoste fecit,  
 perq; connubium demum (ut ferè inter  
 pacificantes principes fit) controuersia ea  
 omnis sublata est. Incidit illa inter duos  
 potentissimos Europa reges pacificatio in  
 mensem

mēsem Martiū eiusdē anni, quo optimus princeps Christianus uitā cū morte cōmutauerat. Tenebat tūc Imperij Romani sceptrū Ferdinandus Austriacus, superiore anno in Caroli Quinti fratris locū Septemuirorū Germania suffragio susceptus. Is enim clarissimus potētissimusq; Imperator, cū ingrauescētis atatis ualetudinisq; uitio imbecillus tantā rerū molē sustinere diutius nec uellet, nec posset, & restitutus per Gulielmum Aurantium Septemuiris Imperij insignibus, dignitate Imperatoriæ & muneribus spōtē sese abdicasset, inq; cœnobii Sancti Iusti in Hispania abdidisset, in monastica ac solitaria ea uita diē extremū obierat, eodē anno, quo et duæ eius sorores Maria et Eleonora Ungaria et Gallia regina, filijq; Philippi coniunx Maria Anglia regina, uita excesserūt. Ferdinandus igitur sub idē tēpus, coacto uniuerso Imperij senatu et ordinib. in urbe Vindelicorū



*Augusta conuentum agebat. His in co-*  
*mitijs, quæ ad tuendam & conseruãdam*  
*Imperij dignitatem, arcendumq; Panno-*  
*niæ oris Turcam crudelissimum & hære-*  
*ditarium Christiani nominis hostem, ac*  
*muniendam stabiliendamq; per Germa-*  
*niam pacem & tranquillitatem publicã,*  
*spectare uidebantur, mensibus ferè decem*  
*acta & constituta sunt. Frequentibus*  
*quoq; suffragijs decretum factum, ut Lio-*  
*nia miserè querenti, de atrocissimi hostis*  
*Moscorum siue Rutenorum principis, cer-*  
*uicibus suis assiduè imminentis, extrema*  
*seuitia atq; iniurijs, quas inferente illo gra-*  
*uissimas esset perpeffa, centenis aureorum*  
*millibus ad exercitum conscribendum sup-*  
*petia ferrentur. Quod Imperij beneficium*  
*plerisq; eorum, qui tunc Liuoniam admi-*  
*nistrabant, adeo tenue & exile uisum est,*  
*ut negligere omnino maluerint, quàm re-*  
*bus in extremũ adductis discrimẽ, præter*  
*cætera*

cetera mala, quibus affligerentur, concitata in super inanis auxilij inuidia sese onerare. Multo enim honestius praclarusq; ad omnem posteritatem fore sibi iudicabant, si non adiuti ab Imperio & uiribus longè inferiores, uel hostis potentia cederent, uel rebus omnibus fortunisq; exuti uiriliter occumberent: quàm si aut in tam exigua aeris summa, spem aliquam & fiduciam posuisse temere, aut immemores officij pro patria animis parum masculis & generosis praeliati perhiberentur. Ita Liuoniam nequicquam implorantem auxilium, & tam potenti diroq; hosti imparem, propter ignauiam eorum, per quos tunc regebatur, cum Rutenus, hereditarij cuiusdam iuris & denegati sibi tributi praetextu, numerofo cum exercitu inuasisset, nō modo crudeliter igni ferroq; euastauit, sed & expugnatis plerisq; occupatisq; castellis ac munitionibus, & ingenti homi-

minū multitudine trucidata, multa præ-  
 terea mulierum puerorumq̄ imbellium  
 millia, sedibus paternis maternisq̄ auulsa  
 uberibus, in Moscouiam secum abduxit.  
 Lugubre sanè spectaculum & deploran-  
 dum nobilissima fertilissimaq̄ olim re-  
 gionis fatum, quæ tam longo aui tempo-  
 re aduersis barbarorum finitimorum  
 incursiones, firmissimum Germania mis-  
 nimentum & propugnaculum fuit.  
 Magnum uerò Imperio Romano de-  
 decus, cum maiorum nostrorum olim  
 uirtute & constantia diu fortiter, egregie  
 que defensa sit, quorum ora & a-  
 spectum, nedum arma uix ferre Ro-  
 mani poterant, quod nunc oscitantibus  
 ijs, quibus finium defendendorum cura  
 credita erat, in tristissimam miserrimamq̄  
 redacta seruitutem, Moscorum  
 sauitia & Tyrannidi cesserit. Hic tunc  
 ijs in Europa locis rerum status erat,

de

de quo nos breuiter dicturos recepimus, nunc consequens est, ut antiquissima gentis originem & mores altius nonnihil inuestigemus: quod pro rei ipsius conditione fortasse longius erit. Antequam uerò eueniamus, paucis obiter Lectore ad monitum uolumus, ne quid nos hoc loco de Dithmarsis sigillatim dicturos existimet.

Eorum enim regio, quam septem in longitudinem miliaribus porrectam, paulo angustius in latitudinem sese extendentem incolunt, cum Holsatia cohereat, continensq; cum illa intra Britannicum Germanicumq; mare (quæ uetustissima Cimbrorum sedes est) sita sit, ipsiq; incole, ut eadem origine descendentes, isdemq; uiuentes moribus & institutis, uni eidemq; cum Holsatis imperio Saxonum olim subiecti fuerint, neq; nos illos separamus, ueròque sub Cimbrorum nomine utrosque complexi describimus. At si obijciat quis,

diuer-

longitudo  
Dithmarsis  
7 miliaribus

diuersam à Cimbris gentem Dithmarsos  
 uideri, quia illi à Gomero nepote Noha, hi  
 à Marso orti credantur, is haud difficul-  
 ter responderi sibi posse intelligat. Nam id  
 ita esse, tametsi largiar, tamen negari non  
 potest, Marsum Gomeri nepotē ex Thui-  
 scone filio perhiberi, unde de cognatione  
 gentis, unum insidentis tractum, si id ue-  
 rum sit, facile est colligere. Verum Mar-  
 sos alyis locis consedisse, victosq̄ olim & su-  
 sos à Germanico, Tacitus accuratus Ger-  
 mania descriptor locuples testis est. Nihil  
 profectò magis consentaneum uero uide-  
 tur, Dithmarsos ab inhabitata loci ora  
 nomen sortitos esse. Etenim uniuersa ea  
 regio, quae intra Cimbricā Chersonnesum  
 est, bifariam distinguitur, in palustrem et  
 campestem, siue nemorosam. Qui de-  
 pressa ideoq̄ palustria & uliginosa tenent  
 loca, hi ab incolis Marsi uocantur, quasi  
 inter paludes limosasq̄ uoragines habitā-  
 tes.

tes. Inde Stormasi, Crempermarsi, Uilster-  
 marsi, Haseldorpermarsi et Dithmarsi  
 dicti, qui una oēs quasi serie Albi flumini  
 adiacent: cumq; terram aquis humiliorē  
 depressioremq; incolant, haud tenui sum-  
 ptu, densis obiectis aggeribus uallisq; præ-  
 altis, præterlabentis fluminis uim atq; æ-  
 stum sustinere atq; compescere coguntur,  
 saltem aggeribus, fossis aut profluentibus  
 separati. In quas oras, ut ab ipsa natura  
 situq; munitiores, se suaq; receperunt inco-  
 le, ubi grauius alicundē ab hostibus peri-  
 culum aut terror imminuit, ut postea me-  
 morabitur. Rursus diuerso appellantur  
 uernaculo nomine, qui altiora atq; aridio-  
 ra terræ occupant, unde Holsati, quasi in-  
 ter syluas saltusq; habitantes, nominati:  
 quam ueriores de nominis etymo senten-  
 tiam iudico: nunc ad Cimbro in genere  
 sese conuertet oratio. Holsatia itaq; omnis,  
 uti nunc uocatur, Slesuicensem ducatum,  
 Uagriam,

Uagria, Stormaria, Dithmarsia & Iutia,  
 minoresq; aliquot regiones ac Insulas, ut  
 Anglia, Suuantia complectes, ueterib. Cim-  
 brica Chersonesus dicta fuit. Ea ab Albi  
 flumine, prope ciuitatem Hamburgu, ad  
 extrema Iutia in longitudine itinere duo-  
 decim dierum extenditur: in latitudinem  
 uero ab insula Fimbria, sua perua Cim-  
 brica ad Buesen insulam Dithmarsia,  
 dierum sex itinere expedito patens, porri-  
 gitur: ita, ut ab una parte fere tota Ocea-  
 no Orientali alluatur, ab altera Occiden-  
 tali, ac propterea peninsula nomen merito  
 sortiatur. A meridie enim saltem infe-  
 riori Saxonorum ducum regione conui-  
 gua est. A reliquis eius loci finitimis du-  
 canibus, ut Megalopolitano & Lunebur-  
 gensi, diuiditur per Trauenam, Bilenam  
 & Albim flumios. Caterum cum in gene-  
 re tota Cimbriam depinxerim, non inutile  
 fore existimaui, si Holsatiam quoq; specia-  
 liter

liter describerē. Ea quatuor fluminibus circūdata est: Bilena ad orientē, ad occasum Stora, ad meridiem Albi, ad septentrinem Eidora, qui fluuius uetus Danie limes à quibusdam esse existimatur. Sed Annonius monachus Benedictinus diuersum ab hoc limitē cōstituit, nēpe uallum illud adhuc nostro tēpore murus & aggesta terra insigne, quod à nostris Deūwerck, hoc est, Danorū opus appellatur, et propter Caroli Magni exercitum aduentantem, à Godefrido Danie rege structū perductūq; est, à sinu Oceani Britannici Slue dicto, haud procul Slesuico & Gothorpa, usque ad Hollingstadū, quod Eidora amnis in Germanicū mare se exoneraturus alluit. Incoluerūt olim Holsatiā ab antiquissima memoria prisca illi & pugnaces Cimbri, bello cum Romanis gesto celebres, unde & nomen uniuersa ea regio accepit, ut ex Ptolemaeo, Strabone, Plinio & Tacito, maximis certē autoribus, constat: qui



omnes uno quasi ore Cimbroſ inter duo maria, Britannicum nempe & Germanicum, nunc uulgo occidentale & orientale dicta, Aquilonem uerſus à Saxonibus conſediſſe, diſerè teſtantur. Et ſeruat etiamnum hoc tempore nominis ueſtigiũ inſula parua, contra Lubecam ciuitatem ſita, quæ Fimbria hodie, una diuntaxat litera innouata, appellatur. Cimbroſ uerò à Gomero, nepote Nohe, ex maximo natũ filio Iapheto, ortos eſſe, nomen que ab eo per tot ſecula paululum immutatum trahere, conſentiens omnium opinio eſt. Poſteritas igitur Iapheti cùm maiorem orbis terrarum partem, in Europa, Aſia que minore, occupauerit, quod ipſi, cùm etymò nominis dilatationem ſignificantis, tum fauſta Nohe parentis imprecatio, portendebant, poſteri à Gomero orti ad Boſphorum Meotidi paludi proximum, qui de illis Cimmerius eſt appellatus, ultra Thraciam,

ciam, ubi Tanais oritur, sedes habuerunt, ipsi Cimmerici dicti. Cuius rei etiam propheta Ezechiel certissimus est testis, qui Gomer & Thogorma latera Aquilonis expresse uocat: quod de Palaestina, ubi uir diuinus sacri numinis instinctu scripsit, accipiendum est, quo sanè in loco floruisse olim Cimbros potentia & nominis celebritate, præter Bosphorum & mons et oppidum eiusdem loci, ab ipsis Cimmericis nominatum, documento sunt. Hinc postea succedente tempore, quod haud difficile illis fuit, per regiones propinquas, Russiam, Lituaniam, Liuoniam & Borussia, in Cimbricam Chersonesum progressi, totoq; eo littore se passim diffundentes, late dominati sunt, & castrato paululum nomine, literaq; interiecta, Cimbri nuncupati. Quando uerò & qua occasione hæc migratio contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant,

ex quibus id constare possit, ignotum est. Herodotus meminit, Cimbro, cum irruptione facta Lydiam inuasissent, ab eius populi rege repulso esse. Sabellicus præterea Aliatem, qui Lydorum rex fuit, eos Asia eiecisse scribit. An igitur eo statim tempore, eaq; occasione, in hæc loca concesserint, certò affirmari non potest. Nam hac de re quæ ueteres Saxonicarum rerum scriptores literis prodiderunt, iis, quæ scilicet ab hominibus imperitis rudibusq; passim congesta sunt, fides habenda non est, eosq; Albertus Cranzius, diligens & curiosus historiæ scriptor, ubiq; ferè ut futiles & friuolos refellit. Quod si literarum cultura, æquè ac res militaris, apud Cimbro floruisse, certiora de suo in hæc loca aduentu, alijsq; rebus præclare feliciterq; abs se gestis, monumenta nobis reliquissent. Sed ipsi, ut & aliæ pleraq; gentes, animose uiriliterq; agere, & bella gerere, quàm

quàm eleganter & ornate scribere, maluerunt. Illud tamen ego haud nulla ductus coniectura crediderim, non uniuersam simul gentem omnino illuc sese effudisse, sed remansisse nonnullos, qui relictà ab alijs loca celerent, quòd homines istius orae ueterib. Cimbris nò dissimiles sint moribus & institutis, ut historia produunt. Neque enim singulari cuiusquam imperio parèt, sed complures inter eos sunt nobiles uiri, ij ex prædatione & uenatu uictum & opes quaerunt: quas duas omnino res cum plurimi semper faciant, propter eas saepe ingentes inter ipsos discordiæ & contentiones oriuntur. Opinantur nonnulli, eos uel inusitata Oceani inundatione coactos, uel ui à Gothis expulsos, sedibus suis emigrasse. Quod mihi uerisimile non uidetur, sed potius suaapte sponte ac uoluntate, siue fato quodam impulsos, siue opum alienarum

cupiditate accensos, cultiora loca appetiſſe  
 exiſtimauerim, praefertim quibus, ut nul-  
 la terreſtrium itinerum difficultate pra-  
 peditis, magnam facultatem ad inuaden-  
 das occupandasq; alienas prouincias claſſis  
 praebuerit. Neq; uero ſoli Cimmerici, ſed &  
 aliae quaedam ipſis conterminae gentes, ſedi-  
 bus priſtinis relictis, in alias terras migran-  
 tes tranſierunt. In his Getae, Daci, Syeui,  
 Teutones ſiue Thuiſcones ( ab Aſcane fi-  
 lio Gomer, qui & Thuiſcon ) & Saca fue-  
 runt, qui omnes, mutatis appellationibus,  
 nunc Gothi, Dani, Suedi, Germani & Sa-  
 xones nominantur, etiam hodie Cimbris fi-  
 nitimi. Ceterum fuerunt ſemper Cimbri  
 gens impigra, ſtrenua, manu prompta &  
 bellicoſa: quod cum origo nominis, pugna-  
 cem ſignificantis, tum res ab ipſis audacif-  
 ſime fortiſſimeq; geſtae, abunde teſtantur.  
 Ab iſdem Sicambri & ortum & nomen  
 ducunt, quos nunc Geldrenſes eſſe uiri docti  
 arbia

arbitrantur. Post aliquot enim numero reges, qui inter priscos Cimbroſiue Cimmerios dominatum tenuiſſe feruntur, cum ad Antenorem ſecundum, qui Marcomyri filius fuit, rerum ſumma perueniſſet, is, fixis per maiores ſuos & prolatatis iam ſedibus ad Rhenum uſq; & Germanicum mare, Britonũ regis finitimi filiam, Cambram nomine, in matrimonium ſibi copulauit. Quæ mulier cum in magno apud regem precio & honore eſſet, ob eximias pudici uenustiq; ingenij dotes, in eius fauore & gratiam nouum genti nomen indidit, ut pro Cimbris poſtea Sicambri appellarentur: idq; à cõditi mundi exordio anno poſt quingentos & ter mille quinquageſimo, cum Artaxerxes Longimanus Perſis imperaret. Succedente poſtea Antenori filio Priamo, recens Sicambrorum nomen nõ modo non depoſuerunt, ſed peregrinam quoq; & ignotam prius Saxonũ linguam

addiscentes in suam cooptarunt, quòd duces eorum, crescente indies magis magisq<sup>3</sup> potentia, ad Rheni ripam dexteram usq<sup>3</sup> dominatum protulissent. Longo deinde intercedente temporis intervallo, circiter annum conditi orbis terrarum à ter millesimo octingentesimo quadragesimum, regnante Meradoco primo, cum Rhenū relinquere, ob insolitas frequētes que cum ostiorum eius, tum maris inundationes, cogerentur, Harcinie tractum occuparūt. Inde uerò non multo post à Boijs pulsī, traiecto Danubio Noricum insederunt, (quo loco etiam nū hoc seculo comitatus extat, ex nomine eius rei argumentum habens) donec Meradoco secundo duce, contractis undecūq<sup>3</sup> omnibus gentis suæ uiribus, adiunctis que sibi in societatem Teutonum & Ambronum auxilijs, Galliam & Italianam inuadere cœperunt: unde in Germaniam à Cassandro primo reducti sunt.

Ex

Ex Norico enim per Heluetiam Galliãq;  
 penetrantes, quorum multitudo trecenta  
 milliatum excessisse memoratur, in Hi-  
 spaniã populabundi transierunt, qua ma-  
 ximis affecta detrimentis, à Celtiberis in-  
 de post armis reiecti atq; depulsi sunt. Igi-  
 tur in Galliam reuertentes, cum omnem  
 eam prouinciam, quacunq; iter fecerant,  
 crudeliter euastassent, inita cum Teutoni-  
 bus & Ambromibus belli societate in I-  
 talem armis irruere decreuerunt, annũ  
 circiter decimum ante natum Christum  
 supra centum. Primus Romanorum Pa-  
 pyrius Carbo consul in Illyrico cum uni-  
 uerso exercitu ab ipsis conciditur. Post  
 eum M. Iunius Syluanus, & ipse consul,  
 cõtracta infeliciter pugna superatur, à qua  
 uictoria cum missis legatis sedẽ & agros à  
 senatu Romano postularẽt, is hoc ipsis nega-  
 uit. Nec longè post altero cõmisso pralio, Au-  
 relius Scaurus legatus consulis, deletis copijs



in manus eorum uiuus peruenit. Qui in  
 consilium à uictoribus adhibitus, cum eos  
 deterrere conaretur, ne superatis Alpium  
 iugis in Italiam sese demitterent, quòd uin-  
 ci non posse Romanos diceret, Bolus rex, fe-  
 rocisq; ingenij iuuenis, cōfestim manu sua  
 eum interemit. Prælium illud Tacitus fa-  
 ctum scribit, anno sexcentesimo quadra-  
 gesimo post Urbem conditam, à quo alij dis-  
 sentiunt. Ad eam aduenientis tanta mul-  
 titudine gentis famam, tribusq; iam præ-  
 lijs uictoricis, perterriti Romani, nec sibi, do-  
 nec Italiam hostes ingrederentur, expectan-  
 dum rati, in aditu Alpium denuò exer-  
 citum ualidum opponunt. Igitur in ita ad  
 Rhodanum fluuium pugna, anno ab Ur-  
 be condita nono & quadragesimo post  
 sexcentos (quemadmodum annos suppu-  
 tant, qui Tacitum non sequuntur) iterū  
 Cimbri memorabilem & funestam Ro-  
 manis uictoriam consequuntur, octoginta  
 millibus

millibus militum trucidatis, calonum li-  
 xarumq<sub>3</sub> quadraginta millibus, castrisq<sub>2</sub>  
 binis consularibus potiuntur, nix denis (ut  
 aiunt quidam) è tanto exercitu elabenti-  
 bus. Alter proconsulum, qui duces fuerāt,  
 C. Manlius in pugna interfectus occubuit.  
 Alter Q. Seruilius Cepio, cum ex fuga Ro-  
 mam certissimus cladis nuncius peruenis-  
 set, abrogato imperio bonisq<sub>2</sub> publicatis,  
 cum, quod eius temeritate tanta clades ac-  
 cepta crederetur, tum ob spoliatum auro  
 Delphico templum Tholosanum, in carce-  
 rem ductus est, necatiq<sub>2</sub> post cadaver ad  
 scalas Gemonias abiectum. Feruntur uno  
 in praelio Romani maiore clade & detri-  
 mento nunquam affecti. Quamobrem su-  
 spensis metu animis, de exitu belli magno-  
 pere solliciti, praesentiq<sub>2</sub> rerum suarum pe-  
 riculo uehementer perturbati, cum hostes  
 exitium Urbi minitātes propediem adue-  
 tare nunciarentur, missis celeriter trans

mare nuncijs, bellicosum iuxta & fortunatum ducē C. Mariū ex Lybia, ubi luggurtham deuicerat, in urbem reuocant, eumq̄, continuato per annos plures magistratu, eius belli Imperatorem creant. Hic anno improsp̄eram eam pugnam insequēti secundum consul factus, & ad bellum Cimbricum à senatu mandatum profectus, fatidicæ mulieris suasu, cui Maritha nomen fuit, per biennium conflictu abstinent. Interea temporis castra ab hostibus summa ui oppugnata, nec minore constantia à Mario defensa sunt. Post elapsos uero annos duos, cum Teutonibus & Ambronibus, qui diuisis copijs diuersa uia ex Gallia in Italiam fuerant transgressi, ad Aquas sextias manus feliciter conseruit. Eo ualde acri cruentoq̄, pralio uictor ducenta millia hostium fudit, cepit nonaginta millia: tantaq̄ fertur caesorū fuisse multitudo, ut Massilienses postea congestis defun-

functorū ossibus uineas obsepserint, agriq;  
eius loci, madefacta sanguine humano gle-  
ba, & carniū putredine, superfuso pra-  
serim rore copioso & imbre, quasi stercore  
multo pinguescētēs, uberrimi feracissimiq;  
redditi sint. Lucius tamē Florus non uno,  
sed duobus secundis praelijs, eodē loco Teuto-  
nes & Ambrones à Mario profligatos re-  
fert. Tam insperato & infelici sociorū casu  
Cimbri, qui per Noricū in Italiam descen-  
derant, quanquā attenuati numero & ui-  
ribus, animo tamen minimē fracti, sedem  
à Romanis collocando rerum suarū domi-  
cilio petebant. Quo non impetrato, Q. Ca-  
tuli proconsulis exercitum in fugam uer-  
sum ab Alpiū faucibus, quas obsederat,  
summovent, Italiāq; ingressi ad Athesin  
flumē castrametantur. Nec defuit fortuna  
impotenter sibi blandienti Marius, sum-  
maq; celeritate eò aduolans, copias suas  
cum Catuli milite coniungit, initoque  
pralio

prælio die uicesimo nono Iulij, centum quadraginta millia hostium occidit, supra sexaginta millia capta in potestatem redigit. Durauit igitur hoc bellum Cimbricum duodecim continuos amplius annos, sumpto initio à Cn. Papyrio Carbone Cos. à Cimbris interfecto, usque ad quintum Caij Marij consulatum, cum ad Athesin illos penitus debellauit. Nec sanè modicas Cimbrici intra id tempus Romanis clades intulerunt, cum aut cæsis, aut captis fugatisue eorum ducibus, quinque Consulares exercitus prosternerent. Equidem nisi fuisset ita diuinitus constitutum prædictumque, ut Roma, plerisque omnibus subactis prouincijs, orbis terrarum caput efficeretur, summumque in eo imperium & potestatem gereret, & nisi ea tempestate tam excellentis uirtutis & felicitatis incredibilis extitisset imperator, potuisset forsitan tunc imperium Romanum penitus euertere atque deleri. Proinde

inde haud immeritò Marius tertius urbis  
Romæ conditor & assertor à Plutarcho  
appellatur, primoresq<sup>3</sup> ciuitatis, qui antea  
ipsi, ut nouo homini, tanta honorum fasti-  
gia inuiderant, tunc Rempublicam ab eo  
conseruatam fasti sunt. Certatum uerò eo  
bello cunctis imperij Romani uiribus, to-  
toq<sup>2</sup> ad eò regni corpore, cum, exhausto ad-  
milites conscribendos aerario, Marius om-  
nes populi Romani socios & amicos in au-  
xilium exciuerit, exulesq<sup>2</sup> undiq<sup>2</sup> et ob ma-  
leficia iudicijs damnatos, permissa impu-  
nitate, contra leges reuocauerit, quò maio-  
re armorum mole tantis hostium conati-  
bus obuiam iret. Atqui, ut Tacitus refert  
eo loco, ubi hanc Cimbrorum in Italiam  
expeditionem perquam magnificis effert  
uerbis, cõstitit ea uictoria Romanis decem  
& ducentorum ferme annorum continuis  
grauissimis difficilimusq<sup>2</sup> bellis, si temporis  
series, à Cæcilio Metello & Papyrio Car-  
bone

bone coſſ. ad alterum uſq<sub>3</sub> Traiani Imp. cōſulatum, ſubducatur. Ceterum quod ſcriptores nonnulli aſſerunt, poſtremo hoc prælio Cimbroſ ad internecionem uſq<sub>3</sub> gentis cæſoſ deletoſq<sub>2</sub> fuiſſe, id à uero eſſe alienum, non uno argumento liquet. Eſſi enim uires eorum, tanta in ipſoſ ſtrage edita, ad eò fractæ attritæq<sub>3</sub> ſunt, ut robur uetus & potentiam priſtinam recuperare poſtea nunquam potuerint: reliquæ tamen fuſi ad Atheſin exercitus ita fuga diſperſæ ſunt, ut partim ad Atacoidem paludem reſſe, partim in Græciam & Pannoniam nouis quærendis ſedibus dilapſæ ſint, nonnulli quoq<sub>3</sub> in Germaniam & natalem peninſulam ſuam effugerint. Enimuerò poſt id tempus quòd nulla in hiſtorijs Cimbrorum extat mentio, nemini mirum uideri debet. Nam ſumptis ſemel & intentatis improſperè contra Romanos armis, poſtea quieti ſeſe tradiderunt.

derunt, nec inter ipsos inuentus est, qui, temporum rerumq; gestarum uices literis mandando, posterorum memoria factorumq; æternitati consuleret. Imperante Augusto Casare, retinuisse Cimbros etiam tum aliquam imperij umbram, inde constat, quod ei (ut commemorat Strabo) æreum lebethem, peculiari quadam religione abs se consecratum, donomiserint, ut eo facto dissidij ueteris & iniuriarum memoriam quasi abolerent, amicitiaeq; sædus cum eo pangerent. Sub idem quoque tempus uictos à Danis Iuttia, parte Chersonnesi propinquiore Danis, quam tunc obtinebant, expulsos esse, annales meminere. Quæ igitur inde superfuit multitudo, Danorum metu Saxoniarum ducibus sese subdidit, nec sine multa & uaria rebellionem paruit. Neq; omittendum mihi hoc loco uidetur, quod in commentarijs belli Gallici Casar recenset, Cim-



Cimbros Teutonesq<sup>ue</sup>, cum in Galliam Ita-  
 liamq<sup>ue</sup> iter facerent, impedimentis us, quæ  
 secum agere aut portare non poterant, ci-  
 tra Rhenum deposuiss, custodiae ex suis ac  
 praesidio sex millia hominum reliquiss.  
 Hos, profligatis in Italia socijs & populari-  
 bus, multos annos à finitimis exagitados,  
 cum aliàs bellum inferrent, aliàs illatum  
 defenderent, consensu eorum omnium pa-  
 ce facta, inibi locum domicilio sibi delegiss.  
 Inde Aduaticos prognatos, qui obsideti  
 Casari dedito oppido, in quod egregiè à na-  
 tura munitum omnia sua contulerant,  
 desertis metu reliquis oppidis castellisq<sup>ue</sup> u-  
 niuersis, cum insequenti nocte munitiones  
 Romanas, compositis insidijs fideq<sup>ue</sup> rupta,  
 inuaderent, ad millia quatuor eorum oc-  
 cidit: ac postridie uniuersam oppidi se-  
 ctionem uendidit, numerusq<sup>ue</sup> capitum ab  
 emptoribus millia quinquaginta trium  
 ad eum relatus est. Hos alij Neruijs &  
 Ebu-

Eburonibus, qui nobis Tornacenses & Leodicenses sunt, finitimos fuisse arbitrantur: alij in Heluetia prope Tauriscos, qui quibusdam Uranenses, collocant. Hinc eorum orta est opinio, qui partem Cimbrorum, ab ea clade superstitem, in Heluetia sedem nactos consedisse, scribunt. Equidem ex omnibus his omnino haud incertum est, ex eadem gente, tametsi per omnes dispersa terras, plurimos tamen cladi in Italia acceptæ supersuisse. Porro quæ de antiquissimis eius gentis moribus & institutis referri possint, hæc ferè sunt. Uebantur primis temporibus uetustissimi illi Cimbri, & qui in Holsatia postea sedem habuerunt eorum posteri, prisca illa Germanica lingua, quæ Saxonum genuina est. Regem autem principem agnoscebant neminem, sed, ex ortis subinde bellis, ex suis fortissimum quemque, & factis illustribus spectatum, ducem sibi deligebant. Si forte qui, explorata

uirtute & factis præclaris editis pares, electione dubia facerent, sorte ipsosmet iam et iudicabatur. Nec diuturnius cuiusquam erat imperium, quam bellum ipsum, cuius gerendi dux esset declaratus. Præter nobiles colonosque, & quosdam conditione seruos, (quos Christiana nunc pietas sustulit) nullos inter se uitæ status aut discrimina alia habebant. Comitum uero & Baronum, titulos ac nomina planè ignorabant, quemadmodum nec nunc quidem apud finitimos Danos Suecosque in usu sunt, nisi quod ante paucos annos quidam nouo exemplo & ambitione inusitata, fortasse cum aliqua etiam pristini iuris sui iactura, eos incognitos hæcenus honoris titulos gradusque in Suecia adepti sunt. Summa apud eos dignitas, summusque honos & status post electos belli duces, equitum erat, quos ab ornamentis, quæ illis conferuntur, auratos uocamus. Ad quem

quem maximi honoris gradum nulli patebat aditus, nisi qui uirtute bellica, factisq; in hostem egregijs patrat, cuiuscunq; uel classis uel fortunæ esset, ad id dignitatis culmen merito ascendere putaretur. Is enim solis, ut præclarum & ingens compertæ spectatæq; uirtutis præmium, in conspectu exercitus patentibusq; campis, ab ipsis ducibus, quorum ductu & auspicijs strenuam & memorabilem in bello operam præstitissent, solenni ritu & ceremonia conferebatur. Quod ipsum & apud alias plerasq; gentes in more fuit, & recentiorum memoria Franciscus Gallie rex, laudatissimo sanè exemplo, in consuetudinem quodammodo reuocauit. Is enim, cum duplici periculosoq; admodum prælio Heluetios, pugnacissimam gentem, non procul Insubria fudisset, quoniam ipsemet præ cæteris in prima acie audacissime dimicans, & optimi ducis & stre-

nui bellatoris munia impleuerat, consen-  
 su gratulantium principum exercitusq;  
 uniuersi, eo honore dignissimus habitus,  
 de manu Baiardi impigri ducis, quem an-  
 te alios fortissime in hostes pugnante con-  
 spexerat, equestris dignitatis ornamenta,  
 adhibitis de more ceremonijs, accepit. No-  
 stro uero seculo equestris ordo à fortibus ui-  
 ris, & militari laude præstantibus, rarius  
 propterea appetitur, quòd in eum non sem-  
 per, ut olim, testatæ uirtutis merito clari,  
 sed qualescunq; passim fauore principum  
 subleuati cooptantur. Qui enim, uel prin-  
 cipum gratia florentes eum dignitatis gra-  
 dum affectant, uel opibus affluentibus empti  
 honore ceteros antecedere cupiunt, li-  
 cet nulla probatæ uirtutis testimonia præ-  
 cesserint, uerbis ex solenni ceremonia con-  
 ceptis, districto Imperatoris ducis uel gla-  
 dio in sinistro humero leniter percutiun-  
 tur, eoq; ritu, & ipse honos & eius insignia  
 orna-

ornamentaq<sup>3</sup>, quibuslibet promiscuè communicantur. Cimbri porrò in Christiana fidei societate, repudiatis Idololatricis superstitionibus, eodem tempore unà cum Saxonibus sese contulerunt. Ante id uerò tempus Solem & Lunam, aliosq<sup>3</sup> uana religionis deos adorabāt, eosq<sup>3</sup> diuersis et certis in locis colere, & sacra ipsis facere solebant. Neq<sup>3</sup> enim cæleste & immortale numen ullis aut ædibus, aut alijs operibus manibus mortaliū fabricatis, includi & cōtineri posse credebant. De animarum tamen immortalitate rectè statuebant, doctrina ea quasi per manus, à Gomer usq<sup>3</sup> primo gentis autore, posteris tradita. Honestā item inter ipsos connubia maris unius fœminæq<sup>3</sup> erant copulatio, quorum alterutro satis functo, secundas nuptias non celebrabant. Verū ut pares essent coniuges, eiusdemq<sup>3</sup> status & conditionis, magnopere obseruabant: qui aliter cōtra-

d 3

xissent,

xissent, eorum uterq<sub>2</sub> publicam & ignomi-  
 nia et suspicionis notam subire uidebatur.  
 Reos adulterij & conuictos capitali suppli-  
 cio afficiebāt, ut certior maiorum sanguis  
 propagaretur. Iuris dicundi iudicij<sub>3</sub> exer-  
 cendi hunc habebant morem. Erat uni-  
 uersa ditio in certas paræcias siue curias  
 diuisa, ea statis temporibus locisq<sub>2</sub>, pro se  
 quaq<sub>2</sub> seorsum, suis cum armis patete sub-  
 dio in campis conueniebant, aderantq<sub>3</sub> e-  
 iusdem loci uiri nobiles, qui uelut testes iu-  
 dicio assiderent. Ibi in medium prodibant,  
 qui contra alios litem habere se existima-  
 rent, auditisq<sub>3</sub> & cognitis partis utriusque  
 actionibus defensionibusq<sub>3</sub>, conuentus uni-  
 uersus in consilium ibat, idq<sub>3</sub> temporis spa-  
 cium, quod interim deliberado terebatur,  
 curam uocabant. Expensis diligenter &  
 uelutatis in partem utramq<sub>2</sub> controuersis,  
 in confessum redibant, uocatisq<sub>3</sub> litigatori-  
 bus de iure pronuntiabāt. Si quis stare iu-  
 dicio

dicio nō uellet, ad duodecim cōstitutos siue  
 iudices siue arbitros, & ab his ad uniuersa  
 ditionis conuentum prouocare ei licebat.  
 Hac minuendarum litium iudicij<sub>3</sub> con-  
 suetudo semel quotannis obseruabatur, &  
 est in hunc usq<sub>2</sub> diem locus nō procul Ren-  
 desburgo, qui annua trabis nomē ab eo iu-  
 dicij more etiamnum retinet, solentq<sub>3</sub> illic  
 nunc quoq<sub>2</sub> terminandis controuersys nō-  
 nunquam conuentus haberi: ac fuerunt  
 praeerea in alijs Chersonnesi partibus simi-  
 lia loca, quorū memoria longinquitate tē-  
 porum intercidit. Homicidij crimen ulti-  
 mo supplicio non prosequentes, multa pe-  
 cuniaria pledebāt, ne uno infelicicasu duo  
 de medio tollerētur: idq<sub>2</sub> ita ad Christianū  
 usq<sub>2</sub>, eius nominis tertium Daniae regē, obs-  
 seruātū est. Is enim, ut erat princeps prudē-  
 tia mira, & equi boniq<sub>3</sub> seruantissimus,  
 quoniam ea consuetudo à diuino simul  
 humano que iure discrepare uidebatur,



inolitam usu & temporis diuturnitate legem, ante annos non adeo multos, consensu procerum ita cōstrinxit atq; mitigauit, ut qui inopinantem quempiam, armis uel ad corporis sui defensionem non instructū, interfecerit, capite pœnam luat, in reliquis prisca consuetudinis uigor obtineat, ut à sanguinis profusione temperetur. Si acriores forte contentiones de iure aut honoribus inciderēt, inter nobiles praesertim, antiquo Romanorum more initis duellis, Marte iudice lites dirimebāt. Erant sepultura eorum in syluis & agris, tumulosq; aggestis lapidibus uestientes muniebant, quod genus complures passim adhuc uisuntur, qui Gygantum strata uocantur. Nonnulli quoq; sed pauci, extructis rogis, more Romano cremari, cineresq; collectos in urnas custodiri uolebant, cuius rei uestigia aliquot nostro saeculo reperta sunt. In dictis, pactis, factisq; fides summa & mira animorum

morum constantia erat, quam non presta-  
 re, uel leuiusculis etiam in rebus, omnino  
 ignominiosum & inhonestum ducebant.  
 Neq<sup>3</sup> opinio ea existimatioq<sup>3</sup> penitus apud  
 posteros euauuit: sed, ut ab optimis accepta  
 maioribus, studio magno nec minore cum  
 laude etiamnum retinetur, ut nobili in pri-  
 mis homini nihil aequè turpe putèt, quam  
 datam fidem fallere, idq<sup>3</sup> qui facere reueri-  
 tus nō fuerit, is haud obscura infamiae ma-  
 cula aspergatur. Ad bella singuli uirum  
 proficiscebantur, ductis secum uxoribus,  
 quae incantationum magicarūq<sup>3</sup> artium  
 gnarae, augurijs & uaticinijs operam da-  
 bant, deq<sup>3</sup> praeliorum euentibus scienter  
 praesagiebant: quemadmodum & hoc bel-  
 lo, quod scribere aggressi sumus, Dithmar-  
 sorum mulieres fecisse compertum est.  
 Quam consuetudinē Germanis quoq<sup>3</sup> usi-  
 tatam fuisse, Iulius Caesar autor est, ut eo-  
 rum matres familiās sortibus & uaticina-  
 d 5 tionibus

tionibus declararet, utrum committi praelium ex usu esset nec ne, dicerentque, non esse fas Germanos superare, si ante nouam Lunam praelio contendissent. Fugere in bello res insolens ipsis erat, qui quod id fecisset, ei nullus ad suos reditus patebat, omniumque commercio erat interdictum, neque grauiore ulla turpitudine aut ignominia nouerant. Vitui & opibus quaerendis ex re pecuaria magis, quam agricultura, studebant. Erat regio omnis, ut supra quoque demonstratum est, in campestre & palustre discreta. Bonis & possessionibus suis, quae pascuis potissimum, fundis, stagnis & nemoribus constabant, pro arbitrio utebantur fruebanturque, neque ea colonario beneficiario, sed proprio atque hereditario omnes iure tenebant. Nec operis quidem & seruitijs nobilitati praestandis coloni, ita ut nunc plerisque in locis, olim grauabantur, quae postea ab his, qui ueteris expulsis incolis has oras occuparunt, paulatim

latim introducta subditisq<sup>3</sup> imposita sunt. Id uel inde cōiungere licet, quod agrestes, Hol-  
 satiam Dithmarsiaq<sup>3</sup> incolentes, sua sibi  
 habēt dominia & pradia, qua hereditate  
 ueniūt, transeuntq<sup>3</sup>, et rariora leuioraq<sup>3</sup> eo-  
 rū sunt onera, nec iisdē locis, ut in alijs, tot  
 nobiles sua habēt domicilia. At mutatis  
 subinde dominis, cum quisq<sup>2</sup>, ut erat uictor  
 abrogatis ueterib. nouas præscriberet dice-  
 retq<sup>3</sup> leges, ex bonis hereditarijs passim pre-  
 caria atq<sup>2</sup> cōductitia effecta sunt. Nobiliū  
 aut possessiōes et dominia, ut nūc quoq<sup>2</sup> ma-  
 gna ex parte existūt, p<sup>2</sup> priu iuris liberaq<sup>3</sup>  
 potestatis eorū, nec, feuda sed allodialia erāt  
 bona, extinctaq<sup>3</sup> omni familia cuiuspiā p<sup>2</sup>  
 le mascula, ea nō ad principes, sed ad agna-  
 tione proximas, sexus muliebris recidebāt:  
 cuius rei exēpla et nostro tēpore uidimus.  
 Hæc omnimoda cum iurisdictione, meriq<sup>3</sup>  
 et mixti imperij potestate, ac cunctis pleni  
 iuris cōmodis possidebāt: idq<sup>2</sup> siue ius, siue

consuetudinem à maioribus ad posteros  
 transmissam, etiamnum hæc atas retinet.  
 Familiarum tamen inter se dissidentium  
 controuersis litibusq<sup>ue</sup> effectum, ut nonnul-  
 la ex his, pristino iure obscurato & abolis-  
 to, pro feudis habeantur. Hæc planè sunt,  
 quæ de antiquissimis eius gentis institutis  
 & moribus extant, quorum potissima pars  
 eadem in regione in hunc usq<sup>ue</sup> diem apud  
 posteros uiget. Etenim quanquam post  
 eam cladem, quam in Italia, duobus fune-  
 stis superati prælijs, grauissimam perpeffi  
 sunt, uires eorum & potentia ( uti supra  
 copiose memorauimus ) ita conuulsa pro-  
 strataq<sup>ue</sup> est, ut ad pristinum postea decus  
 & robur haudquaquam aspirare potue-  
 rint: reliquæ tamen, & eorum, qui cate-  
 ris domo profectis remansere, & qui ex fu-  
 ga ad lares antiquos reuersi sunt, genitæ  
 oram obtinuerunt. Hi postea ob uirium  
 imbecillitatem paucitatemq<sup>ue</sup> contemptui  
 haberi,

haberi, & finitimorum expositi iniurijs  
 plurimis damnis & incommodis affici.  
 Dani nimirum, quod supra attigimus, cir-  
 citer id fere tempus, quo diuina potestas  
 humana in specie ad salutem nostram cœ-  
 lo sese demisit, lutiam illis ademerūt, haud  
 exiguam regni portionem. Quorum ada-  
 eti metu incolæ, ut certam sibi alicunde de-  
 fensionem pararent, Saxonibus se submit-  
 tentes dederunt. Vandalorū præterea,  
 qui Vilsii et Vagri nuncupantur, assiduis  
 uexati irruptionibus, ea ditionis parte,  
 quæ inde ab occupatoribus Vagria appel-  
 latur, exuti sunt. Sed eam deinceps, ut in-  
 potestatem redactam, Adolphus eius no-  
 minis alter Holsatiæ comes ab hostibus re-  
 cepit. Carolus postremò Magnus, primus  
 Germaniæ Imperator, post debellatos an-  
 nis triginta Saxones, quò celerius sanctius  
 quæ fidem Christianam, cui obstinatè relu-  
 ctabantur, amplectereretur, ad decem mil-  
 lia

lia hominum in Belgicum hinc trāstulit,  
 ubi nunc Flandria & Brabantia regio-  
 nes sunt, agros que eorum & sedes, quas  
 abitu suo uacuas fecerāt, Obotritis Van-  
 dalis assignauit tradiditque. Ab omni i-  
 taq; memoria, primi exterorum Saxones  
 Cimbris imperabant, ex quibus Imperato-  
 res quoq; orti sunt. Otho deinde primus co-  
 gnomento Magnus, Henrici I. aucupis fi-  
 lius, Hermanno Billingio nobili uiro, que  
 ob egregiam singularis industria & virtu-  
 tis eximia laudem, probatamque in bello  
 & pace operam fidelem, ex prefecto pri-  
 mum ducem fecerat, terram eam omnem,  
 additis Brunswicensi Lunenburgensiq; du-  
 catibus, in ditionem permisit & dedit. Sub  
 cuius posterorum dominatu ad centesimum  
 quinquagesimum usq; annum cum fuif-  
 sent, ad comites inde Sconēburgios summa  
 rerum deuoluta est, circa annum salutife-  
 ri uirginis partus supra centum & mille  
 tri-

trigesimum primum. Anno deniq; trecentesimo uigesimo nono post, in potestatem Christiani primi Daniæ regis, ( is ex illustri & uetusta Oldenburgicorum comitū stirpe, & sorore Adolphi ultimi Holsatiæ ducis prognatus, opes & titulum sorori sibi uendicabat ) concesserunt, numeratōque obiter aliquo auri pondere, hi, ad quos ex cognatione Scouenburgiorum ius deuenisse uidebatur, pacati sunt. Eius posteritas nunc Daniam, Noruegiam, ducatum Slesuicensem, & Holsatiā Ditmarsicāque tenet: nec stemmatis lineam pro ijs, quibus illa ignota est, subycere piget.



Ceterum quanta & quā crebra rerum mutationes & uicissitudines, propter frequētes ac multiplices finitimarū gentiū incur-



incursiones, his in locis factæ sint, ut que  
 regio omnis, in plures diuersas que distra-  
 ctæ partes, uarios acceperit dominos, qui-  
 bus id temporibus, quibus uel incrementis  
 & occasionibus contigerit, neque suscepti o-  
 peris breuitas patitur, neque instituti nostri  
 est recensere. Primos enim duntaxat soli  
 incolas et habitatores ab antiquissima me-  
 moria repetere, eorumque facta illustrio-  
 ra, mores & consuetudines quantum ex  
 non incertis omnino testimonijs comper-  
 tum esset, perstringere uoluimus, eaque in  
 re nos Lectori minimè moroso aliqua ex  
 parte satisfecisse confidimus. Proinde his,  
 qui ea plenius certius que cognoscere desi-  
 derauerint, ex integris historiârû scriptis,  
 & annalibus petenda colligenda que e-  
 runt. Ut igitur tãdem ad Dithmarsiam  
 ipsam speciatim aliquãdo ueniamus, nunc  
 ea, quæ initio polliciti sumus, exequemur.  
 Patet, ut supra dictum est, septem in longi-  
 tudi-

tudinem miliaribus Dichmarsia, pauloq;  
 minus in latitudinem, situ naturaq; loci  
 peregre munita. Ab oriente tuetur la-  
 tus flumē Eidora, ab occasu mare Britan-  
 nicū, ad meridiem claudit Albis fluvius,  
 ad Aquilonem cingunt fossæ perductæ et  
 munitiones. Varios hæc ora temporū suc-  
 cessione dominos habuit, quorum alios in-  
 terfecerunt incolæ, alios eiecerunt, nonnul-  
 los quoq; ui subegerunt. Post Saxones, qui-  
 bus omnium primis unà cum alijs accolis  
 finitimisq; paruit, ex annalibus constat,  
 fuisse aliquod tempus, quo eam comites di-  
 tione tenuerint. Ex horum numero pri-  
 mus Dedo à colonis interemptus est: cuius  
 post cædem cum uxor eius Ida, genere Sue-  
 ua (cui Henricus III. Imperator pa-  
 truus, & Leo VIII. pontifex erat auun-  
 culus) Etelero comiti, cognomento Albo,  
 nupsisset, is eundem uitæ suæ exitum na-  
 ctus est. Tertius ab eo Rodolphus Marchio

(is tunc eam successione acceptam tenebat) trucidatus, cui non multo post filius eiusdem nominis additus est: maiore quidem cum contumelia atq; iniuria, quod castello eius Bocelenburgo, in quo caedes fuit perpetrata, euerso & diruto, coniugē Valburgam, amputatis naribus atq; auribus mutilatam, in proximum profluentem abiecerunt, qui etiamnum hodie ab illa demersa nomen retinet. Huic Rodolpho erat frater Hartuicus, is ius suum uniuersum in ea ditione, quod morte fraterna ad ipsum redierat, permutatione facta & recepto in eius locum Stadensi comitatu, antistiti Bremensium tradidit. Subegit postea Dithmarsiam armis Henricus Leo, & pagos aliquot Abbati Stadensi dono dedit, quorum nomine ut tributum acciperet, cum eò uenisset Abbas, uita spoliatus est, atq; obiter alia pagis nomina in uita, quò memoria debita annua p̄sionis extin-

extingueretur. Adolphus quoq<sup>3</sup> isthoc nomine tertius Holsatia comes, anno Christi post millesimū centesimum octuagesimo sexto, armis in potestatem redactā aliquandiu tenuit, sed non multo post recedentes à fide Dithmarsi omnem nobilitatē, quæ multa eo loco erat, ditione expulerūt. Assentiēte deinde et permittente Adolpho, Hartuicus antistes Bremēsis, q de comitū Holsatia stirpe fuisse traditur, eā sui iuris fecit. Adolphi enim et Oldenburgici Schoenbergijq<sup>3</sup> comitū copijs adiutus, uastatis agris, magnisq<sup>3</sup> illatis undiq<sup>3</sup> detrimētis, ad ditionē cōpulit, grandemq<sup>3</sup> æris summā se daturos ut pollicerentur, adegit. Verūm reducto dimissoq<sup>3</sup> exercitu, nihil ex pacto præstantes Dithmarsi, neq<sup>2</sup> pecuniam promissam expendere, et abrupta fide ad Daniæ regem desciscere, in eius quoq<sup>3</sup> potestate non diu permansuri. Etenim uicesimo septimo post mille ducentos, anno à nato

Christo, cum inter Adolphum prioris filium ac Lubecenses, & Regem Daniae Valdemarum, iuxta praedium Bornho-  
 uede acre fieret praelium, essentq<sup>2</sup> in copijs regis Dithmarsis, nefario perfidiae crimine regem hostibus prodiderunt. Pepigerant occulte cum Holsatis ante confectum, se deserto rege ad ipsos transituros, eiusq<sup>3</sup> rei indicium fore, si imas clypeorum oras conuertissent. Itaq<sup>3</sup> ut ad manus uentum est, ipsi in extremis collocati, ubi iam pugna ferueret, scutis inuersis à tergo Danos adoriuntur, quo insperato casu percussus regius exercitus, prementibus undiquaq<sup>3</sup> hostibus, superatus, & Otho dux Brunswicensis, nepos regis ex sorore, captus est, ipso rege regisq<sup>2</sup> filio uix ab hoste fugae praesidio seruatis. Ita cum infami singularis perfidiae nota in libertatem sese uindicarunt. Anno autem sexagesimo secundo post, Henricus Holsatiae ac Stormariae & Iohannes

hannes Vagria comites, ius suum armis repetituri, in Dithmarsiam exercitū duxerūt, præliōque inito superati, multis suorum profligatis, reliquis fuga cruentis ex hostium manibus sese eripientibus, ipsi quoque fuga salutis suæ consuluerunt. Postquam pugnam cum unus & triginta effluisissent anni, orta inter comites Holsatiae dissensione, quæ ad arma usq̃ processit, Dithmarsii arrepta ea occasione, ut alteri parti quasi suppetias ferrent, agmine facto in Holsatiam irrumpunt, & obuia quæque, cum vicos tum agros & prædia, populando inflammandoq̃, ad Chilonium usq̃ oppidum progrediuntur. Unde cum diuersa via onusti præda domum regrederentur, Gerhardus Holsatiae comes celeriter cōsectatus eos, non procul Bornhouede, ubi pernoctauerant, sub lucem improuisus superuenit, & quingentos ex illis trucidat, præter eos, qui aut in stagnum propinquum

impulsi, aut semetipsos precipantes, undis perierunt. Qua inflati uictoria Gerhardus eiusq<sup>3</sup> frater Iohannes, secundo post anno, quantas possunt maximas copias cogunt, euocatisq<sup>3</sup> in auxilium extraneis ducibus numero quatuordecim, & uniuersis ditionis suae uiribus in una castra contractis, die natali uirginis Mariae, inito Autumno, Dithmarsiam intrant, & pacato itinere, resistente nemine, toto cum exercitu ad locum usque, quem Norderstrant uocant indigenae, in meditullium Dithmarsiae perueniunt. Ibi ingruentibus hostibus aciem obuertere ausi Dithmarsii, restau-rato praelio bis in fugam coniecti sunt, ad mille & septingentos eorum occisis, reliqui in proximam eadem sacram fuga delati, eaq<sup>3</sup> subitarijs pro tempore operibus munita, contra hostium uim sese defendere conati sunt. At ubi ducum iussu milites ligna comportare, ea que apposita templo

suc-

succendere uidet, territi periculo agrestes, si ueniam impetrent, modo se deditionē, et in posterum comitum Holsatiae imperata facturos, pollicentur. Illi autem dictis eorum fidem nullam habentes, ignem propius admoueri iubent. Quo animaduerso obsessi cum iam laminae, quibus ex plumbo templum erat contextum, liquefactae ab igne stillare coepissent, nihilque aliud, nisi praesens ante oculos exitium, & miserabile mortis genus conspicerent, in desperationem adacti, facto impetu in hostes, qui minus, ac decuit profuitque, in rem suam intenti uigilabant, ex templo confertim sese eiciunt, illisque opportunè subuenientibus, qui hinc illinc in fossis notisque latibulis metu hostium sese occultauerant, ex ducibus duo decim, reliquae uerò multitudinis duo milia interficiunt. Soli Gerhardus Holsatiae comes & Henricus Megalopolensis



cum paucis incolumes elapsi. Intercedenti  
 bus deinde annis aliquot, Nicolaus Holsa-  
 tia comes leuibus multis & tumultuarijs  
 pugnis, cum, uel iniuria uel damni illati  
 uindictam causati, subinde in Holsatiam  
 incursiones facerent, cum Dithmarsis con-  
 fluxit, quarū imprimis ea, quæ in loco Tir-  
 perslo inita est, memorabilis fuit. Ex qua  
 cum æquo penè Marte utriq; discessissent  
 tandem res ad inducias & pactiones, lite-  
 ris sigillisq; firmatas, deducta est. In his in-  
 ter cetera cautum fuit, ut neutri alterius  
 partis hostes domicilijs suis receptarent, fo-  
 uerent aut defenderent. Hanc conuentio-  
 nis particulā, quia heredes quoq; obliga-  
 bantur, cum Ericus Saxonie dux, socer  
 Alberti comitis Holsatie, anno exorta sa-  
 lutis quarto post millesimum quingente-  
 simum, ductus in Dithmarsia copijs, inde  
 prædam abegisset, per que Holsatiam do-  
 mum esset reuersus, Dithmarsis uiolatam  
 conten-

contendere, quod permissu comitum eam expeditionem per fines eorum susceptam crederent. Publicatis igitur ad principes finitimos & urbes literis, de Gerhardo Slesuici duce et Alberto comite grauiter conueruntur, eosque accusant, quod contra pacta, conuenta, & literis sigillis que munita, egerint, se que more militari non premonitos per ditionem suam inuadi dispoliarique à socero permiserint: quamobrem iniuria damni que accepti compensationē ab ipsis reflagitant, atque adeo ut harum literarum extorquere conantur. Quo comperto, Gerhardus fratrem Albertum ad se accersitum duriter increpat, quod tantum socero indulisset, cum eo expostulans: sed is iureiurando rite concepto, coram fratre & suis utriusque consiliarijs, sanctē affirmat, se eius rei planē inscium & omnis culpa expertem esse. Gerhardus ergo ubi fratrem extra noxam esse intellexit, am-

bo primum literis, cum ad Dithmarsos, tum ad principes ciuitatesq<sup>3</sup> per scriptis, agunt: his se purgantes, culpamq<sup>3</sup> eius facti, & suspicionem omnem à se amouentes: illos uero grauiter acerbeq<sup>3</sup> insectantes, quod honoris sui & nominis ratione nullam habuissent, tantamq<sup>3</sup> dedecoris & ignominiae notam immeretibus aspergere & inurere molirentur: deinde animum ad iniuriam bello uindicandam conuertunt. Dithmarsi postea quã in se bellum serio parari animaduertunt, intercedentibus ciuitatibus, pro facta ipsis iniuria quolibet cunq<sup>3</sup> modo satisfacere se paratos aiunt, modo bellum intermittant. Verum principes molliri, & ab instituto belli gerendi dimoueri non possunt. Proferebant enim contra ipsos tabellas siue literas publicas, quae omnium uniuersae ditionis incolarum nomine, anno parte salutis supra millesimum ducentesimum tertio, datae confectaeq<sup>3</sup> erant: quis  
bus

bus spondebāt Dithmarsī, se in perpetuum Gerharδο comiti, eiusq; iustis & legitimis heredibus, obnoxios et deuinctos fore, Holsatisq; in cunctis eorū periculis auxilium laturos. In cuius belli exordio tamen si fortuna Holsatis uehementer arridere uisa est, ad extremum tamen singulari inconstantia atq; perfidia sefellit & deseruit.

Quippe contractis undecunq; copijs in Dithmarsiam irruentes, opimas hinc inde pradas agunt, & in loco Delfsbrugga ualidum propugnaculum excitant. Id erat turricula, ut passim ea munitiones fieri solent, forma inferius quadrangulari, uastis grandibusq; inuicem connexis lignis coagmentata, ut pilis incidentibus transitum negarent, relictāq; circumqua; in lateribus foramina eo spacio patebant, ut maiora minorāq; tormenta exeri possent, unde pile in hostes undiquaque adigerentur.

Ad quod oppugnandum cum saepius ueni.

uenirent Dithmarsii, magno eorum incom-  
modo & iactura ipsos repellere, oppidum  
Melendorpam facto in id impetu capere, lo-  
cum Hannerou in confinio Dithmarsie  
munire, ex castellis Tileburgo & Suanesta  
dio magna plurimaq; hostibus damna quo-  
uis momento inferre. Post ea uerò prospere  
administrata: mutata fide fortuna Hol-  
satos dereliquit. Nam Albertus comes cū  
per eum loci tractum, quem Northam-  
me incola dicunt, in Dithmarsiam irru-  
pisset, iamq; ingentem & copiosam trahēs  
prædam ad suos recipere sese properaret,  
ex itinere equo lapsus est, qui casus paulo  
post ipsi fatalis fuit. Cum deinceps uicina  
ciuitates maritimæ per legatos de pace in-  
ter ipsos concilianda agerent, nec abnuen-  
tibus quidem Dithmarsis eam precio redi-  
mere, equo duriozem se præbuit Gerhars-  
dus, plenusq; fiducia potiūda regionis, quæ  
presertim fraterno iam funere satis care  
empta

empta poterat uideri, uniuersa copia-  
rum mole in hostes inuadere constituit.

Nec longa intercessit mora, cum toto exer-  
citus corpore ea uia, quæ Suderhamme uo-  
catur, à cœli plaga australi, in Dithmar-  
siam itur: dux ipse cum delecta cohorte ad  
fauces aditus eas custoditurus consistit, mi-  
lites, agros uicosq; percurrento populando-  
que, magnam undiq; uim prædæ cogunt.

At hi palâtes dispersi que, dum prædæ cu-  
piditate latius euagantur, tardius que sese  
recipiunt, incolæ conglobati latera angus-  
siarum, per quas transitus erat, arbuscu-  
lis occultati occupant, iam que reuertentes,  
ut erant onusti prædæ, improuisi aggre-  
diuntur, eadem que faciunt. Antecede-  
bant agmen pueri armigeri, ab ijs, cum pri-  
mus in ipsos impetus fieret, lachrymabilis  
clamor & euiatus, tollebatur. Quo ad au-  
reis ducis perlato, tumultum inter suos &  
rixam de prædæ ortam ratus, eam seda-

*turus nudato galea detracta capite propere aduolat. In eum Dithmarsii ex transuerso sese inferunt, sauciatumq; grauiter caput equo deturbant. Inde cunctis à lateribus in hostes concitati proruunt, & alijs atque alijs subinde sese aggregantibus ex latebris, quibus se abscondiderant, copias eas omnes quasi indagine claudunt, & totas occisione ferè trucidant delentque, paucis fuga euadentibus. Nullius enim uitæ usitata, sed immani feritate, ne spirantiū quidem inter cadauera casorum parcunt. Præter ducem occubuerunt bissemi equestri honore insignes, & ex nobilitate trecenti, inter quos nonnulli egregij & magnæ uirtutis fuerunt uiri, quorum nomina in annalibus adhuc extant. Atque ad eò, ut compendio dicam, quicquid lectissimorum hominum militumq; in ducatu Slesuicensi Holsatiaq; uniuersa fuit, & flos omnis robusta*

uiuidaq; iuuentutis, hoc bello interijt. Po-  
 stridie tamen eius diei nobiles duo Holsati,  
 Wolfgangus Poggeniscius & alter Ram-  
 zouius, inter cadauerum acervos uiuen-  
 tes reperti & capti sunt. Hi ut dimitte-  
 rentur, prius impetrare nequibant, quàm  
 perfecissent, ut propugnaculum Delf-  
 brugga, quod Holsati adhuc tenebant, de-  
 strueretur. Neq; eo contenti Dithmarsti,  
 quòd in pugnantes cadentes que immanē  
 crudelitatem & seuitiam pro more intē-  
 peranter exercuissent, in ipsa quoq; caeso-  
 rum cadauera miserè passim agros scædan-  
 tia, dum sepulturam honestam ipsis ne-  
 gant, seuiunt, & dirum immoderatū que  
 animorum furorem satiant. Nam ipsius  
 uix ducis, & paucorum præterea e-  
 questris dignitatis cadauera, ad sepultu-  
 ram impetrari potuerunt, quantumuis  
 magno argenti pondere oblato. Reliqua  
 multitudo, contra omnium penè gentium



consuetudinem & mores, feris alitibus que  
 in prædam, insepulta sub dio per agros &  
 in fossis iacuit. Tandem uero post multas  
 etiam preces nobiliū sæminis permissum,  
 ut uirorum ossa undiq; collecta, sacratarū  
 uirginum siue monialium (ut uocāt) ha-  
 bitu, ad sepulturam efferrent, neq; id qui-  
 dem, nisi tali sub conditione, fuerant con-  
 cessuri. Ita gens omnium immanissima, ne  
 quid atrocius dicam, uiuentium corpora  
 fodiendo cadendóque, crudeles animos is-  
 ramque implacabilem explere non potuit,  
 nisi in ipsos quoq; cineres & umbras, omni  
 procul pietatis humanitatis que cultu, ex-  
 tremam odij & furoris sui uim effudisset.  
 Post eam cladem funestam & grauissi-  
 mam Holsatis, induciæ inter ipsos, renoua-  
 tis antiquis sæderibus, initæ sunt, quas de-  
 cimo tamen anno post Dithmarsii uiolare  
 non reformidârunt. Cuius rei gestæ occasio  
 & series hæc fuit. Affecerant ultimo sup-  
 plicio

plicio Phrisy homines facinorosos qua-  
 tuor, patria Dithmarsos, ob maleficia de-  
 signata mortis reos. Id agrè ferentes Di-  
 thmarsy, qui eo facto se omnes contumelia  
 affectos putabant, ut eam uindicarent,  
 Phrisios traiecto Eidora amne armis laces-  
 sunt: qui obuiam euntes eorum complures  
 occidunt, cæteris aut in fluium uicinum  
 demersis, aut fuga inita insequentium ma-  
 nibus ereptis. Qua suorum cæde in Dith-  
 marsia euulgata, per omnes pagos ad ar-  
 ma conclamatur, & mox uiribus instru-  
 ctiores, magnoq; coacto agmine, reuertun-  
 tur, & facta in agrum Eiderstadensem  
 irruptione, obuia omnia undiquaq; igne  
 ferroq; crudeliter uastant, diripiunt, sua  
 redimere uolentibus pecuniam imperant,  
 magnaq; abacta præda domum redeunt.  
 At pecunia imperata cum ipsis pro libitu  
 non solueretur, magna è suis manu com-  
 parata denuò Phrisios inuadunt, et omnẽ  
 f eorum

eorum agrum depradantur, supraq; capta ab ipsis spolia & rapinas multò maiorem, quàm antiè argenti uim muletæ nomine exigunt, & iniquissimas atq; adèò intolerabiles præscribunt pacis conditiones. Inter quas & hæc erat, ut orta inter suos Phrisiosq; controuersia, delecti ex Dithmarsis uiri uiceni, & Phrisiorum unus, de ea cognoscerent atque iudicarent. Hanc atrocem simul & iniustam uim, ditioni suæ illatam, grauissimè ferebat. Adolphus Holsatus, monitos que Dithmarsos, ut ex fœdere agerent, & ab iniurijs suorum tēperarent: ubi nihil cæpto desistere comperit, graues contra ipsos simultates animo concepit. Sed quia ipsi cum Danorū rege de ducatu Slesuicensi contētio erat, nihil hostile tentare, uindictam uè de ijs sumere ausus est. Aestimatum tunc fuit damnnum, ea incursione Phrisijs illatum, ducentis millibus marcarū. Progressi exinde sunt

sunt eò arrogantia Dithmarsî, ut inter  
 Danie regem ducēq̄, de Slesuicēsi. (uti di-  
 ctum est) ducatu dissidentes, se arbitros et  
 sequestros interponere cogitauerint. At  
 intelligentes parum quid in iure feudali  
 controuerteretur, existimabant perinde  
 esse, iumentū cōmodo an ducatus in feu-  
 dum detur, eaq̄ barbara et agresti sua in-  
 sciua principū ius penē interuertere cona-  
 ti sunt. Elapso nonullo tēpore cūm Chri-  
 stiernus primus eius nominis rex Danicus  
 Adolphi è sorore nepos, p̄p̄inquitatis iure  
 ditōes eius oēs ad se trāstulisset, is in Germa-  
 niā ad Fridericū III. Imp. p̄fectus est, &  
 suo maiorūq̄ suorū in Dithmarsîa iure de-  
 mōstrato, obtinuit, ut cōmuni statuū ordi-  
 nūq̄ imperij consensu, abolito obliteratoq̄  
 comitatus titulo, dux Holsatiæ crearetur.  
 Cui ducatus, ut legitimis metis ambituq̄  
 iusto describeretur, Casarea potestate Stor-  
 maria & Dithmarsia regiōes inclusa atq̄

copulatae sunt: idq<sup>3</sup> diplomate Imperato-  
 rio & sigillo confirmatum, anno post nas-  
 tum Christum septuagesimo quarto supra  
 millesimum quadragesimum. Quod  
 Imperatoris diploma, anno quinto post, cū  
 rex Dithmaris Rendesburgum ad se euo-  
 catis exhiberet, utq<sup>2</sup> de more in fidem suā  
 sibi iurarent (quod iuramentū fidelitatis  
 siue homagium uocāt) postularet, Bremen-  
 sium antistitis magistratū causati, id face-  
 re recusabant. Itaq<sup>3</sup> uim & arma rex cō-  
 minatus, interuētū procerum annuas in-  
 ducias dedit, ut eo in temporis spacio, quid  
 sibi factū opus esset, deliberarēt. Eius Chri-  
 stierni filius Iohannes in regnis Aquilo-  
 naribus successor, cum Sueciam rebellan-  
 tem biennio ante armis subegisset, ratus  
 Dithmarsiam cū hereditario iure, tum  
 beneficio Imperatorio, sibi obnoxiam esse,  
 aduersus illam quoq<sup>2</sup> uires suas periclitari  
 statuit. Antequam autem ad arma per-  
 uenire-

ueniretur, literis primū nuncijsq<sup>3</sup> Dithmarsos monet terretq<sup>2</sup>, ut iudicio Imperatoris obsequatur, uolentesq<sup>2</sup> & bona cum gratia id subeant, ad quod inuiti & reluctantes cogi possint. Quibus ubi nihil se proficere rex uidet, bellum indicit, mittitq<sup>3</sup> nihilo minus, qui tentatis agrestium animis operam dent, ut deditione quā bello in potestatem eius uenire malint. Verū id quoq<sup>2</sup> apud obstinatam & præferocem nimis gentē frustra fuit. Itaq<sup>3</sup> rex magnis comparatis undecunq<sup>3</sup> copijs, anno à natali Christi millesimo quingentesimo, mense Februario, in Dithmarsiam exercitum ducit. Habebat in agmine præter milites equites que omnis generis, quos magno numero ex ditionibus suis euocauerat, & infinitimis circum urbibus & oris conscripserat, sex millia peditum stipendiariorū, quorum forti & efficaci opera in Suecia domanda usus fuerat, erat que nomen eo-

rum, siue ob uirtutem, siue crudelitatem  
 & grassandi consuetudinem, gentibus ter-  
 ribile. Ex nobilitate præterea circiter duo  
 millia ipsi militabant. Constitit exercitus  
 per dies aliquot in conspectu hostium, dum  
 reliqua, quæ expectabantur, copiæ con-  
 uenirent, ut quæ experirentur, si forte  
 agrestes intrepidi ante periculum, tantis  
 conspectis uiribus expugnati, ad deditio-  
 nem animos inclinarent. Quæ postquam  
 opinio sefellit, *Weldorpam* oppidum impe-  
 tu facto aggrediuntur & capiunt. Ibi quoque  
 nonnulla tracta est mora, ut spacium in-  
 eundi consilium de deditione hostibus da-  
 rent. At *Dithmarsici* campestribus ari-  
 disque excedere locis, & in interiorem pa-  
 lustrem oram cum omnibus suis sese reci-  
 pere, illic de uita & libertate fortunisque  
 suis cum hoste dimicaturi. Mittit eò rex  
 peritos loci speculatores, ut explorent, quæ  
 nam agrestes consilia capiant. Eos omnes

intercipiunt illi, ceteris que interfectis, u-  
 num natione Phrisum minis tormentis-  
 que adigunt, ut enarret detegat que ipsis,  
 qua uia rex irrumperet decreuerit. Eo  
 comperto, per lutulentam ualde & im-  
 peditam fossis uiam, qua ingressuros ac-  
 ceperant, per omnem insequentem no-  
 stem continuato pertinaciter labore, ual-  
 lum ducunt, & iuxta in excubias prae-  
 diumque aliquot millia suorum collocant,  
 reliquis ad alia munia obeunda distribu-  
 tis. Rex ignarus horum nullas que insi-  
 dias ueritus, quamuis reclamarent Hol-  
 sati proceres nonnulli, quibus angustiae  
 loci suspectae erant, quo constituerat iti-  
 nere, cum omni copiarum mole in ho-  
 stes tendit. Anteibat agmen pedestre, id  
 turma equitum consequebantur, extre-  
 ma claudebant uehicula, qua in spem  
 praedae unà traherantur. Ubi pro-  
 pius uallum sub ictum tormentorum



accesserunt cohortes, coloni post aggerē ex-  
 cubantes, eoq̄ quasi obice et tegumēto tuti,  
 displosis repente tormentis mediocrem mi-  
 litum stragem faciunt. Subiere tamen,  
 qui in prima fronte erant pedites, pluteis  
 tecti, fossisquē saltu superatis planitiem oc-  
 cupant, sed stabant ad eō angustē, ut ad pu-  
 gnā capessendam expedire sese minimē  
 possent. Accedebat ad id difficultatis dies  
 uentis grassantibus perquam turbidus,  
 multo imbre & grandine ubertim cælo de-  
 lapsa, uiri simul equiq̄ perfundi, fossæ ad  
 imas usq̄ oras completæ excrefcere, uia al-  
 liās profundo impedita cæno multo effici  
 impeditior, tanta incidente ui pluuia, eam  
 immisissis per catarrhactas undis augere in-  
 cole, & omne agri fossarumq̄ discrimen  
 eripere. Direxerant in hostes tormenta re-  
 gij, sed extinctis imbre funiculis, corrupto-  
 que apparatu omni, nulli usui esse poterāt.  
 Ex aduerso Dithmarsij, obiectu ualli de-  
 fensi,

fensi, ingentem pilarum gladiumq̄ imbrē  
in hostes effundere nunquam cessabant.

Quos ubi tanta loci iniquitate alijs que dif-  
ficultatibus circumuentos, & iam quasi  
captos cernunt, transilientes fossas uno om-  
nes impetu eos aggrediuntur, & bis repul-  
si redintegrato praelio cohortes, quantum-  
uis fortiter resistentes, sed absorbente plan-  
tas luto præpeditas, imbre multo maden-  
tes, & frigore rigentibus membris penè e-  
mortuas, in fugam uertunt, fugientes inse-  
quuntur, cædunt, proculcant, in fossas præ-  
cipitant. His propè ad internecionem tru-  
cidatis, ad equitatum ueniunt, qui loci an-  
gustia pressus, luto equos ad genua usque  
deuorante, mouere uix sese poterat. Post  
tergum plaustra fugã impediabant, si pro-  
grederetur, cæsum acerui hostes que obij-  
ciebantur, à latere utroq̄ intercludebant  
fossæ. Ita coarctatos equites circumfusi un-  
diq̄ hostes circumfistunt, & oppugnantes

hinc illinc latera uulneratis equis deijciunt, pilis sternunt, lanceis induunt, obtruncant, profligant. Ipse princeps cum paucis, inter quos & illustrissimus Holsatia tunc temporis Fridericus regis frater fuit, per densos cadauerum iacentium cumulos uia inuenta uix elabitur. Edita itaq; triū lhorarum momēto incredibilis est strages, adēo ut ipsis postea uictoribus mirum fuerit uisum, quod tantulo tempore tantam hostium turbam prostrauerint. Sed inuenti sunt pleriq; sine uulnere: quae res argumento est, plures undis suffocatos, quā gladio caesos esse. Locus, quo pugnatum est, Meldorpam & Hemmingstadium oppida interiacet, uocaturq; etiamnum ominoso & infami à re gesta nomine, cacodemonis opus sive iactus. Periere autem ea clade Adolphus & Otho comites Oldenburgici, nec non praeter uiros equestris ordinis, nobilesque Danos & a-

liarum

liarum regionum, ex una Holsatia ad se-  
 xaginta nobilium, quorum nomina in an-  
 nales relata, passim adhuc leguntur. Oc-  
 cubuit quoq; Breda RanZouius frater stre-  
 nuu clarissimiq; equitis Iohannis RanZo-  
 uij, quo summo eius expeditionis duce Di-  
 thmar si non adeo multis post annis plane  
 subacti, & imperio legitimo subiecti sunt.  
 Reliquæ multitudinis alij quatuor millia  
 fuisse casa, alij paulo plures narrant, sed  
 Dithmar si in immensum adaugent nu-  
 merum. Neq; hac quidem uictoria elata  
 gens effera ab usitata crudelitate sibi tem-  
 perauit, ut explenda iracundia & odio sa-  
 tis fuerit, nemini cadendo laniandoque  
 in pugna pepercisse, uictosq; iam & in-  
 teremptos exutus etiam interulis lincis  
 dissipasse, sed & in ipsa omnis sen-  
 sus expertia cadauera extrema crude-  
 litatis & truculentia uirus effudit. A-  
 liquot namque peditum millia raptim  
 terra

terra effossa obruit, reliquis omnibus, præsertim uerò equitibus, is ultimus sepulchri honos negatus est: totq; uiri præstantes, & nobili orti sanguine & uirtute rara factisque egregijs clari, in lacunis, in fossis & campis cæno integente squalidis, aperto sub cælo fœdè computrescere, feras que animantes, canes uolucresque uoraces, corporibus suis passim pascere sunt uisi. Sed Deus opt. Maximus, impiæ crudelitatis sceleratæque in magistratū perfidiæ iustissimus semper ultor, tot fortissimorum uirorum miseram & indignam calamitatem ac necem, quinquagesimo nono post anno, per posteros eorum egregiè uindicauit. Tunc enim bello illato superati Dithmarsii, multis que eorū non procul eodem hoc loco, quo tantam cladem maioribus intulerāt, uel trucidatis, uel captis, & amissa libertate, qua tot annos pertinacissimis animis feliciter defensa insolescentes, iustā

Dei

Dei hominumque in se iram & indignationem concitauerant, legitima, sed moderata dominationis iugum acceperunt.

Quod bellum quemadmodum gestum sit, priusquam ex instituto scribere aggrederer, neque ineptè neque inutiliter omnino facturum me putavi, si uniuersa gentis mores ab antiquissimo seculo repetitos, quæquæ olim eadem ob causam bella suscepta fuissent, & quo exitu confecta, singulari libello complexus præmissem. Ita siquidem ratus fui omnibus liquefcere posse, quàm implacabile & immane eius gentis odium sit, & quæ belli huius nouissimi causæ uel imprimis extiterint. Quare ueniam dabit mihi æquus & candidus Lector, si hac in parte illi, quàm decuisset, uerbosior uidebor.

LIBER SECVNDVS  
 BELLI DITHMAR-  
 SICI.

**A**Dolphus Holsatie dux ab eo statim tempore, quo adulta primùm atate ad arma gerenda exercēdaq̃ aptus factus est, ex innata cum animi generosi magnitudine tum iusta uindicta cupiditate, indignatus tantam cladem & ignominiam temeritate maiorum acceptam, in eam curam omnes ingenij nervos cogitādo intendit, ut quo pacto id dedecus & detrimentū aliquando abolere, & nouo belli successu nouoq̃ ausu sarcire, eoq̃ facto, præclaram nominis sui famam proferre latius, ac ditionem annuosq̃ reditus augere & amplificare posset. Pudendam namque illustriſſimæ familie sue, totiq̃ ad eò Cimbricæ genti, dedecoris notam inuiri  
 arbi-

arbitrabatur, si tam indignum insolentis & præfracti populi facinus, qui veteres præsertim iniurias nouis indies accumularet, inultum abire permitteretur. Nihil uerò in caduca hac & fragili uita, quam natura incertis breuis aui angustijs circumscripsit, beatius & uiro principe dignius statuebat, quàm, prouisa imprimis anima salute, illustrem de se inclytæ uirtutis famam & gloriam, generosis & decoris inuicti animi factis laboribus que susceptis, ubique terrarum accendere, eamque immortalẽ extendere ad posteros. Duplicem siquidem eum fugacis uitæ fructum longe honestissimum iucundissimumque iudicabat, si præclara ueræ uirtutis ingressus uia, & certa grataque sempiternæ laudis spe frueretur, & dittonis suæ fines propagaret. Qua opinione, ut princeps egregijs animi & corporis dotibus

specta.



ſpectatiſſimus, ab ineunte etate imbutus, et militiae ſtudia amplexus, ea ardenti animo excolenda ſuſcepit, ex quibus gloriam perennem, & nominis famam nunquam intermorituram, ſibi deſpondebat: ut que uiam teſtandae eximia uirtuti latioreſ aperiret, in potentiſſimi ducis Caroli Quinti Imperatoris aulam, ubi quaſi clariffima in luce & theatro totius orbis terrarum uerſaretur, ſeſe contulit. Eius tunc quidem caſtra, ſumma cum laude fortitudinis bellica & ſplendoris eximij, omnium praedicatione ſecutus, nullam militis ſibi conciliandi occaſionem praetermiſit, eos que imprimis praefectos, qui non in turpi & ſordido lucro, interuerſis militum gregariorum ſtipendijs, ſed in uera laude & gloria ſolidum militiae fructum reponerent, collatis munifice beneficijs ſibi obſtrinxit, ut prompta & expedita eorum opera, ubi uellet & opus foret, uteretur. Etenim  
omnis

omnis iam pridem longioris mora impa-  
 tiens, vindicanda in Dithmarsos iniuria  
 animum serium sumpserat, eiusq; rei con-  
 silia assidue coquebat, & ( quod forte u-  
 num deesse poterat ) opportunā saltem rei  
 bene gerendae occasionem intentis oculis a-  
 nimoq; uigilanti circumspiciebat. Quae  
 quidem primum tunc offerre sese appre-  
 hendiq; ab ipso uisa est, & cum in obsidio-  
 ne Delerensi Carolo Caesari militaret, ab  
 eoq; post copia dimitteretur, & cum Geor-  
 gius ab Holle & Hildemarus Wolonin-  
 chausen, nobiles militum praefecti, in Bre-  
 mensium finibus, non contemnenda addu-  
 ctam manu, castra posuissent, cum quibus i-  
 psi constitutum erat. Caterum his Adol-  
 phi fratris sui conatibus unus semper Chri-  
 stianus Daniae rex, piissimus & pacis im-  
 primis studiosus princeps, dum uiueret,  
 uehementissimè obstitit. Nam is etate  
 nonnihil iam prouectior, eum diuturno

& inueterato conflictaretur morbo, conscientia tenerioris suasu à bello abhorrebat, totumq; sese ad ea, quae ad animae salutem uidebantur conducere, posthabitis profanis & ciuilibus negotijs, conuertebat, nec ut tanta caedes sanguinisq; profusio se uiuente & permittente ederetur, ulla ratione poterat persuaderi. Itaq; Adolpho, saepius eam expeditionem molienti, nunquam assentiri uoluit, & quocunq; potuit modo, inceptum eius interturbauit & impediuit. Non minus uero, quam ipse frater, Dithmarsis irascebatur, eorumq; agrestem insolentiam ac peruicaciam insania similem, impense oderat, omniq; uita sua tempore apud familiares suos crebro detestari consueuerat. Sed hortantibus eum proceribus, ut ad imperata facienda eos ui adigeret, illos quidem graui poena dignissimos aiebat, uerum se decurso iam propè spacio senem, qui non de regni finibus latius extendendus, sed

sed de beata ex huius uita miseris emigra-  
 tione, cogitaret, bellum (in quo plurimum  
 semper mali esse solet) nullum gerere  
 uelle, eumque laborem suscipiendum po-  
 steris relicturum. Comprobauerat ex au-  
 gusta imperij potestate Carolus Caesar, in  
 gratiam Adolphi enixe id rogantis, be-  
 neficium Imperatoris Friderici proau-  
 (cuius superiore libro mentionem feci-  
 mus) in ducatum Holsatiensem colla-  
 tum, idq; omni ex parte, nouo dato di-  
 plomate, fratribus tribus, Christiano re-  
 gi, Iohanni & Adolpho ducibus, confir-  
 mauerat, anno parte per Christum salutis  
 quadragesimo octauo supra mille & quin-  
 gentos. At Dithmarsii, pro obstinata fero-  
 cia & arrogancia solita, nihil sani ad ani-  
 mos admittentes, nulliusq; Imperatoris prae-  
 iudicio, ad parendum ulli magistratui, se-  
 cogi posse praedicantes, dictis principum au-  
 dientibus esse non modo recusare, sed crebris

etiam iniurijs ditionem eorum sibi propin-  
 quiores afficere, plurimaq; habitatoribus  
 & incolis damna dare. Ausi praeterea,  
 scelere nefario & malitiosa improbitate,  
 illustre ducis Adolphi nomen & famam  
 ladere, contumelijs onerare, & maledictis  
 proscindere. Tam stulta enim & arrogans  
 efferata superbia gentis erat persuasio,  
 quandoquidem tanto aui spacio liberta-  
 tem prospero semper successu asseruisset,  
 totq; forissimos deleuisset exercitus, ut nul-  
 la armorum ui superari & subigi se posse  
 consideret. Eo inani inflata fastu & per-  
 niciofa fiducia, nullum uel equissimum  
 sibi tolerandum magistratum, sed liber-  
 tatem, semel excusso ceruicibus iugo ma-  
 iorum audacia atq; constantia partam,  
 pertinacissimis animis defendendam cen-  
 sebat: in qua tamen ipsa nullus ferè iu-  
 sticiae equitatis ue aut modestiae locus es-  
 rat. Neq; porro ulla tam aqua & tolera-  
 biles

biles excogitari poterāt conditiones, quas, abiecta tandem malitia & feritate mitigata, ullo modo subeundas sibi putaret, neque ulla tam effusa benignitate & indulgentia ita poterat demulceri atq; emolliri, ut ad officium redire uellet. Periculum uero omne & uim ad eò insolenter despiciebat, ut ultro etiam illuderet, & iniurijs cōtumelijsq; prouocaret. Etenim in corporibus humanis ut quaedam interdum ulcera ita incrudescere uidemus, ut omnem omnino respuant curationē: quæ si attrectata adhibitis medicamentis laceasantur fortius, uirus suum subito tam diffundunt latē et exaugent, ut mortē accelerent: neglecta uerò lenta edaciq; serpigine uniuersum corpus occupāt inficiuntq; ita in animis quoq; peruicacium, eum siue morbum siue rabiem, sese habere, usu sæpenumero compertum est. Qui si exasperati metu durius seueriusq; tractentur, ut in officio

& fide permancant, nihil adeò graue &  
 abominandum, nihil tam periculosum po-  
 test inueniri, quod aggredi reformidant,  
 eamq̃ furiosam suã temeritatē & audas-  
 ciam in laudem uertentes, ac quasi œstro  
 perciti, in presentissimũ ultrò sese exitium  
 præcipitant, dum nullum moderatis consi-  
 lijs locum dare uolunt. Sin cõniuentia ma-  
 gistratus malefactorum illorum uenia & im-  
 punitas detur, tententurq̃ lenitate & in-  
 dulgentia, ut spontè in uiam redeant, id  
 omne dolo & fraude insidiosa fieri suspicã-  
 tes, audentiores ad quoduis facinus sumunt  
 animos, & inolescẽte paulatim magis ma-  
 gisq̃ peccandi consuetudine, desperatæ effi-  
 ciuntur prauitatis. Idem morbus eadẽq̃ in-  
 sania Dithmarsos quoq̃ tenuit, & procul  
 à recto transuersos egit, dum nulla ducum  
 equitate, nulla m̃suetudine & beneficen-  
 tia flecti & deliniri sese pateretur: minis  
 uerò metuq̃ periculi iniecto exacerbati, à  
 nullo

nullo iniuriarū genere abstinere. Quae quidem omnia laudatissimus rex indignè admodum grauiterq; ferebat, quòd peruersos & praefractos eorū animos nullis quantūuis lenissimis remedijs, sanari posse, aperitè perspiceret: sed ut senex, iamq; propinquus morti, ut haud falso putabat, regni statū cōmoueret, et extremū uitae suae actū sanguine profuso contaminatū terminaret, animū nō potuit inducere. Adolphus uerò suo depulsus cōsilio quieuit quidē, sed nō sine agritudine mētis et molestia, ac ita omninò, ut eam uindicandae iniuriæ curā haud quaquā animo deposuisse, sed opportunius saltē instituto suo tēpus praestolari uideretur. Nā posteaquā de fratre rege Dania certis nūcijs accepit ipsi superāte morbo dedita migrandum esse (ex quo sanè casu, pro fraterno in eū amore, & pietate atq; obseruātia singulari, maximo dolore fuit affectus) isq; nō multo post, incūte anno



unde sexagesimo, calendis Ianuarij diem suum obijisset, totus sese ad belli suscipiendi cogitationes conuertit. Celebrabatur forte sub idem tempus, quod statum & anniuersarium pro eius regionis more est, solennis nobilium Holsatiae conuentus in oppido Chilonio, in quo conuentu acceptis praedibus, pignoribus cautionibus'ue, ditiores quotannis pecuniam indigentibus passim elocant, & elocata uel precium annuum usurae nomine, uel forte uniuersam à debito ribus soluta recipiunt. Huc Adolphus prope se contulit, & permagnam in celeritate momentum ratus, eaq; plurima confici solere, primum omnium expedienda corrogandaq; pecunia, quam belli neruum esse unicū sciebat, operā dedit, eiusq; summā ingentē breui tēpore quā occultissimē confecit. Circiter festos deinde Paschatis dies ad Henricum Brunsvici ducem, nullis procerum aut oratorum suorum secum

cum adductis, in arcem eius Vulfenbuttelium contendit, communicatisq; secreto consilijs, uaria inter ipsos agitata tum fuisse, coniectari licet, ita ut ualde credibile fiat, Henricum eius consilij haud ignarum fuisse. Disseminatus enim tunc temporis per Germaniam erat rumor, quod natu minimam filiam suam, quae tamen postea Philippo Grubenhagio nupsit, Adolpho esset connubio iuncturus. An uero eius rei fundamenta eo in colloquio iacta sint, nec ne, ut ut hoc sese habeat, in medio relinquimus. Brunsvigium certe, quid ab Adolpho caperetur consilij, non latuisse, probabili ratione, ut credamus, adducimur. Sanè paulo post, quam is inde in Holsatiam redijt, conuentum (ut uocant) circularem principum eius loci indixit, quae penes eum potestas est, ut eo sub praetextu maior colligendis copijs facultas foret, & inceptum suum tegeret occultius. Per Da-

nielem quoq; RanZouium Holsatum, uirum impigrum, qui in Italia Carolo Quinto militauerat, ordinesq; duxerat, praefectum tunc suum in arce Peinensi, quòd is locus remotior esset, Volffgangũ Schonuesium ueterem militum praefectum, inq; remilitari perquam exercitatum, & ambitione apud milites incorruptum, cum legione una, & Ioachimum Blancenburgũ cum equitũ item turma, additis stipendijs conduxit. Quae omnia ad eò recte & callide administrauit, ut ne secretioribus quidam consiliarijs detegeret, soli q; (ut fertur) Mauritius RanZouius & Adamus Trazigerus Iurisconsultus eius consilij conscij & participes essent. Cuius rei causa haec imprimis fuisse inueniuntur. Etenim sperabat, si Dithmarsos imparatos & incuros, nihil que tale opinantes, ipse paratus repentina armorum ui & impetu aggredetur, celeritate ipsa facilius eos opprimere.

primi posse. Præterea conscriptis coactis-  
 que iam copijs, nihil amplius sibi impedi-  
 mento fore, sed alterutrum fieri oportere  
 suspicabatur, ut Dania rex designa-  
 tus, eius consanguineus, fraterque lo-  
 hannes Holsatiae dux, aut, ut solus pro  
 se belli aleam experiretur, permitterent,  
 aut incepto suo socij & ipsi accederent,  
 atque in expeditionem unà proficisce-  
 rentur. Sed equidem maluisset, om-  
 nem laboris & periculi molem sibi u-  
 ni relictam, id que futurum ita spe a-  
 nimo præceperat, quod rex nondum  
 regno inauguratus esset. Nam erat  
 omninò alacri ad id bellum geren-  
 dum animo, & mirifico cum singu-  
 laris comparanda gloria amore & stu-  
 dio destagrabat, tum summa prola-  
 tanda ditionis, vindictæque de inuis-  
 sa uehementer gente sumenda, cupi-  
 ditate tenebatur. Deniq; & illud mo-  
 uebat,

uebat, quòd minimè ignoraret, nisi expeditam equitum peditumq<sup>2</sup> manum quasi in procinctu haberet, ostenderetq<sup>2</sup> ipsis, Holsatos consiliarios non futuros eius belli suasores, multò uerò minus Danicos: qui recens & acerbissimum quidem regni uulnus, optimi regis sui obitum, lugerent, filio præsertim paterni sceptri hærede diademate regio nondum insignito. Ceterum de multò maxima Holsatiæ nobilium parte id quasi pro comperto & explorato habebat, quocunq<sup>2</sup> tempore, & quacunque in re operam eorum desideraret, eos nullo in periculo sibi defuturos, animisq<sup>3</sup> libentissimis castra sua & militiam secuturos. Ut enim illi uiri sunt maximè pugnaces, & rei militaris usu scientiaq<sup>3</sup> præstantes, ita principes suos amore summo & fide penè incredibile prosequuntur, ortumque suum nulla re magis comprobari ac illustrari, persuasum sibi habent, quàm si per  
 egregia

egregia in bellis perpetrata facinora, ad præclaram de se nominis famam & prædicationem excitandam, studio pertinaci contendunt, easq; honestissimas opes ducunt, quæ bellicis exhaustis laboribus comparantur. Vitam enim ipsam profunde malunt, quàm audire, quòd in bello minus fortes & strenuos sese gesserint, eaque militaris constantiæ & fortitudinis laus apud eos maxima præclarissimâq; habetur. Nec immerito sanè, siquidem consilio & ratione recta gubernetur, ac pro patriæ & principum incolumitate ac salute piè iusteq; impendatur. At uerò consilia Adolphi usq; adeò tegi & occultari non potuerunt, quin ad vigilantissimum per Holstiam regium uicarium, præfectumque arcis Segeberga, Henricum Ranouium emanarent. Is omni re cognita certoq; explorata, ut est uir perspicacissimi ingenij & prudentiæ rara, ne qua intestina tem-  
pestas

Etas prorumperet, mature providendum  
 indicabat. Itaque celeriter, ut decuit, quae  
 Adolphum consilia agitare rescivisset,  
 per literas regi designato significavit. Pa-  
 renti quoque suo Iohanni Ranzouio, eque-  
 stri dignitate apprimè nobili viro, & ut  
 summa confirmataque apud principes auto-  
 ritatis & gratiae, ita exacta & absoluta  
 prudentia seni, eadem aperuit, & quan-  
 tum ea ex re, si in actum conferatur, ori-  
 turum incendium, quantasque inter co-  
 gnatos discordias pertimescere oporteret,  
 ostendit: rogans & admonens, ut pro ses-  
 mili sua ualidaque sapientia & autorita-  
 te, qua plurimum semper pollens, quid uis  
 apud principes effecisset, saluti & trans-  
 quillitati patriae prospicere, & enascenti  
 primum malo tempestiue occurrere uellet.  
 Hic autem, perscriptis continuo ad A-  
 dolphum literis, quam diligentissime eum  
 hortatur, ut, de posita paulisper feruida

cacaque incitata ad bellum mentis cupi-  
 ditate, secum ipse cogitet, & sedulo ad ani-  
 mum reuocet, si solus bellum susceperit, in-  
 quantas ultrò se precipitaturus sit diffi-  
 cultates & molestias, unde explicare sese  
 postea sine ingenti damno haud procli-  
 uè ipsi fuerit. Etenim habiturum primò  
 hostes ipsos Dithmarsos, per se satis graues  
 & ualidos: regem deinde consanguineum  
 fratremq̃, nec non uicinas maritimas ci-  
 uitates, Lubecam & Hamburgum, si nõ  
 apertè, certè occultè in se concitaturum:  
 postremò tamen si in stipendia & sumptus  
 pecunia ipsi non defecerit, commeatus ta-  
 men inopia insigniter laboraturũ, quem  
 rex offensus ea iniuria & ciuitates inter-  
 clusura sint. Quapropter rogat & obtesta-  
 tur, è suis aliquem ad se ut mittat, quo-  
 cum latius hac agere, & colloquio mu-  
 tuo discutere possit. Quibus acceptis  
 literis, dux Bertramum Sestedium sibi  
 à con-



à consilijs affinemq, Iohannis, uirum sane tam prudentem & grauem, quàm amantem patriæ, Nouomonasterium ad eū mittit. Is paucis resellere conatus, quæ in literis exaggeratione periculi & difficultatum obiecta fuerant, circa ea potissimum sermonis uestigia consistebat; quibus peteret, uti olim ipse Adolpho fidem dedisset se facturum, id nunc ut præstaret, & in expeditionem eam unà iret. Id uerò ille recusare, & ita serè respondere: quia ad prima susceptæ rei consilia adhibitus non esset, & diuersissima eo ab instituto de Dithmarsis princeps in prædio suo Bohecampiano, cum ab ipso infans, nepos ex filio suo Paulo, lustrico baptisterij fonte ibi susciperetur, in colloquio mutuo simulantans præ se tulisset, & nihilominus hæc animo agitarit, reliquis quoque se miscere sese, & manus admoliri nolle. Sine regis præterea designati fratrisq, uoluntate &

con-

consensu hæc moueri, si eos in eandem cum ipso ire sententiam, sociatisq; uiribus aggregare se illi, aut saltem de iure suo patienter cedere perspexerit, mox sese, quam olim dederit, fidem suam liberare, & expeditionis comitem esse, paratissimum fore. Quandiu autem id non fiat, nec sibi quidem salua fide sua & existimatione licere, in eo adiutorem uti se præbeat, ut, quod communi simul & aequali iure sibi uendicant, id exclusis cæteris unus sibi armis arroget atq; asserat. Quandoquidem enim ipsos ternos pariter ut principes suos agnoscat, & eo quidem rege Friderico omnes prognatos, cui ob plurima eius & ingenia in se beneficia nunquam satis obligatum se fateri queat, singulis quoq; ex æquo omnem cultum, fidem & obseruantiam, à se præstari debere. Quibus & illud iterans denuò adiecit, si consensu unanimi bellum susciperetur, quantum consilio,

h

fide,

fide, industria, scientia usuq<sup>3</sup> militari, & uniuersis deniq<sup>3</sup> uiribus animi & corporis iuuare & efficere posset, nequaquam se defuturum. Id respossum suum, quod inopinatum legato erat, cum flagitaret, calamo exceptum descriptumque ipsi tradidit. Dum hæc inter illos gererentur, filius Iohannis Henricus Augustum Saxonie principem septemuirum & sororium regis designati, de omni negotio certiore fecerat, ut que & ipse his rebus cõsulendo, & idonea opportunaq<sup>3</sup> remedia comminiscendo, interponere sese uellet, rogauerat. Cui dux Elector rescripsit, se de eius parentis que ipsius studio, uigilantia & fide, non ambigere, & existimare, quod id acturi, eaq<sup>3</sup> capturi consilia essent, qua ex re patriæ quàm maximè forent, eiusq<sup>3</sup> statum tranquillum & incolumitatem conseruarent. Is ergo, tanquam regius in locis uicarius, cum antistite Lubecensium

sum eodemq; cancellario regis, Andrea Barbey, sagacis peracutiq; ingenij uiro & iudicij elegantis, consilia cōmunicās, cum iterum atq; iterum in colloquiū uenissent clanculum, sepius eandem rem tractando retractandoq; in scio rege ad id consilij descenderunt, ut regis sui quanquam ignari nomine militum manum conscriberent, ipsq; in praesidia distributis arces regias per Holsatiam munirent. His se tertium Iohannes Ranzouius adiunxit, diuersis que locis semel atq; iterum cū ipsis cōgressus, consilia que conferens, uehementer laborauit, uti res eum in modum cōponeretur, ut salua inter regem consanguineum fratresq; constaret amicitia, nec intestinum aliquod malum & certamen contraheretur: paulo ante id tempus rex designatus, ut certius exploraret, quo animo esset, quemq; in usum copias colligeret, & an bellum in Dithmarsos aliquod moliretur,

per literas Adolphum familiariter & amanter tentauerat. Ad ea igitur respondens, multis & uarijs, inquit, iniurijs ad iustam iracundiam & indignationem à Dithmarfis se prouocari, eosq<sup>3</sup> suis hominibus & incolis multum quotidie inferre detrimenti, usq<sup>3</sup> ad eò, ut aliquando ipsi coràm declarauerit, sibi contrà de faciendo remedio cogitandum esse. Id se quidem nò diffiteri, ueruntamen & illud adiungere, posse forsità Dithmarsos uanum sibi metz ipsis terrorem & periculum fingere, cùm per præfectos quosdam ære suo conductos milites conscribat, idq<sup>3</sup> nomine conuentus circularis. Ita enixè ubiq<sup>3</sup> operam dedit, ut omnem eius belli suspicionem auerteret, hominesq<sup>3</sup> aliud quiduis potius crederent, quàm id, quod reuera meditabatur, & imprimis ut calando inceptum suum ciuitates finitimas eluderet. Ille autem & imprimis Lubecenses atq<sup>3</sup> Hamburgenses,

ses, qui se eius belli incendio, si quod moueretur, uicinos fore prouidebant, missis ad *Andream Barbey* praesulem legatis, ex eo sciscitati sunt, an consensu & uoluntate regis designati is belli apparatus fieret. Idē & *Lunenburgensium* ciuitas fecit. Quibus unum idem que singulis ab antiistite responsum datum est, regem omni eius bellici apparatus exortem esse, & qua gratia copia cōtraherentur, planē ignorare, debere ipsos de rege hoc sibi polliceri, quod clemētē & beneuolum erga finitimos animū gereret probaturus que ipsis esset.

Et quidem animaduersum tunc est, easdem urbes omninō haud æquis animis eiusmodi motum accepisse, multoq; maluisse, *Dithmarsii* nullis oppugnati armis pacem & quietem obtinuisse: quin etiam tulissent fortasse illis suppetias, quantas potuissent maximas, nisi postea in societatem eius belli et rex fuisset pertractus. Caterum

in ea legatione, cum senatus ciuitatum me-  
 tu suspensus & dubius, quorsum is belli ru-  
 mor euaderet, inquirendum de eo omnino  
 decerneret, adeundum sibi potius antisti-  
 tem, quàm Henricum Ranſouium re-  
 gium uicarium, propterea statuit, quòd is  
 suspectus illis esset, quasi ob eadem maio-  
 rum olim factam animo in Dithmarsos  
 iniquiore & infensiore foret, captisq; cum  
 Adolpho consilijs congruens, eius conatū  
 fouere suscepisset, cuius familiari aliquan-  
 do consuetudine & conuictu in aula Caro-  
 li Imperatoris usus esset. His gestis, tandem  
 Bertramus Sestadius, cuius paulo antè  
 mentionem fecimus, Bordesholmium, (id  
 eius loci monasterium est) ad Iohannem  
 Ranſouium equitem, quem antea, ut ibi  
 constituto tempore sibi adesse uellet, ducis  
 nomine rogauerat, uenit. Ibi commemo-  
 rat ei, principem suum Adolphum, pro-  
 bè & accuratè expensis ijs, quæ ipse in scri-  
 pturam

pturam coniecta per se illum monuisset,  
 consilium eius amplexum, literas que ad  
 regem designatum & Iohannem fratrem  
 dedisse, quibus certiores fecerit, si sum-  
 ptu communi consociatis que uiribus se-  
 cum Dithmarsis bellum facere uelint,  
 paratum se esse, binas Dithmarsia par-  
 tes ipsis cedere: ea tamen sub pactione  
 & lege, ut impensas eas, quas in belli  
 eius apparatus mediocres iam erogas-  
 set, pro sua quisque portione sibi repen-  
 dant, alijs que nonnullis adiectis condi-  
 tionibus. Eadem porrò ipse præsuli  
 Lubecensium filioque Henrico, quos acci-  
 tos non procul inde in uico quodam pro-  
 pterea subsistere iusserat, retulit, horta-  
 batúrque utrumque, darent studiosè o-  
 peram, ut rex designatus ea, quæ offer-  
 ret Adolphus, acciperet, initaq; belli so-  
 cietate uires suas cum patris eam in ex-  
 peditione conferret, ne domesticū aliquod



malum & incendium, quod facile conflatu, difficile post restinctu esset, excitaretur. Illi autem, habita mox inter sese de isthac re deliberatione, decreuerunt, ut datis ad regem literis Henricus quàm accuratissime omnia perscriberet, antistes uerò euestigio in Daniam iter susciperet, eademq; coràm regi prolixius explicaret. Quamobrem de earum rerum, quæ agitari iam cœperant studio & cura nonnihil remissum est. Henricus tamen Ranzouius nihilominus, ut per Antonium comitem Oldenburgicum milites conscriberentur, procurauit. Iohāni quoq; Barnero præfecto Pinnenbergensi, ab usu & experientia militari claro, & etate cana uenerando, in quingentos equites pecuniam, quæ datis apud præfectos nominibus, priusquã sacramenta dicant & stipendia faciant, equites de more militiae cōduci solent, & ab expectando nostrate lingua nominātur, se missu-

missurū recepit. Francisco item Bulouio, magni apud suos ob bellicæ peritiæ opinionem nominis & existimationis, eundem in usum certam æris summam sponndit. Hæc decimo quarto calendæ Maij acta sunt. Porro Andreas Barbey ad regem in Daniã properans confestim iter ingressus est, & emissi celeres ab Hærico Ramouio nuncij, ut de omnibus rex diligenter et curiosè doceretur, planumq; fieret, quid de literis actum esset, quibus conditiones eas obtulisse Adolphus ferebatur, & intelligeretur, an copijs illis, quæ quatrì duo post essent conuenturæ, uoluntate iussuq; regis commeatū dare oporteret. Henricus quoq; qui per Holsatiam eius locum teneret, fidele obiter cōsiliū suū regi communicauit, ita ut bellum unà suscipiendum esse suaderet. Nam ex tribus omninò, quæ in consultationem cadere posse uiderentur, quod factu esset optimum, unum eligen-

dum esse diserebat: aut resistendum, aut  
 quiescendum, aut deniq<sup>3</sup> arma simul su-  
 menda esse. Ut opponeret sese, non exigua  
 continere difficultatem, quoniam copias  
 militares iam paratas Adolphus, & ubi-  
 cunq<sup>3</sup> uellet, ad manus in promptu habe-  
 ret. Ut quiesceret, detrimentosum uideri,  
 si Adolphus & emolumētum & laudem  
 domitæ subacta q<sup>3</sup> per se regionis solus oc-  
 cuparet. Proinde ut iunctis uiribus unū  
 bellum inferret, consultiſsimū fore: eam q<sup>3</sup>  
 sententiam rex comprobauit. Neque ita  
 multo post Iohannes Seſtedius uir nobilis,  
 Bertrami germanus frater, ad regem de-  
 signatum ducem q<sup>3</sup> Iohannem cum man-  
 datis ab Adolpho ablegatus est. Horum  
 imprimis id erat caput: quia Adolphus à  
 copijs digredi longius non auderet, rex ex  
 oratoribus suis quosdam Nouomonaste-  
 rium mitteret, eodem & dux Iohannes  
 ueniret, ibi tum sese, ut consanguineos &  
 fratres

fratres deceret, de re omni inter se placide acturos: & si ita conuenire possent, ut communi onere & damno impensas iam ante factas sustinere animum inducerent, emolumentum quoque & lucrum uniuersum commune fore. Exinde uerò quanquam non semel nuncij ultra citraq; missiati sunt, neq; de loco, quo congregarentur, statim inter eos conuenit: tamen concorditer tandem est constitutū, ut principes ipsi unà cum oratoribus suis, ad quartum calendarū Maij, in paruū quendam pagum ad Notorpam in colloquium deuenirent. Id quod & factum est, comoratiq; illic ad calendas usq; principes, de bello mouendo gerendoq; in hunc modum inter se composuerunt. Adolpho, quos iam fecisset sumptus, cum primus haberetur militum delectus, data uicissim ab ipso apocha, qua plenè & integrè acceptos ferret, soluerentur: hi ad octies decies mille circiter

thaleros aestimabantur, sed in quibus non-  
 nulla erant millia computata, quae milites  
 commodato duntaxat in manus accepe-  
 rant, eaq<sup>3</sup> in prima stipendiorum solu-  
 tione erant deducenda. Quae post impense  
 fierent, communi onere & detrimento fer-  
 rent. Si in potestatem Dithmarsia ueni-  
 ret, ea uniuersa in aequales tres partes di-  
 stributa, quam quisq<sup>3</sup> suam caperet asse-  
 retq<sup>3</sup>, sorti iudici committerent: uerum in  
 iudicijs extraq<sup>3</sup> iudicia iunctis opibus om-  
 nem simul defenderent. Cuius subditi &  
 coloni seu praedicationibus seu incendijs  
 damnum acciperent, id ipsi per sese tolera-  
 rent, de' que eo alter alteri ad satisfaciens-  
 dum obligatus ne esset, sed suam quisque  
 fortunam periclitaretur. His pactis alijsq<sup>3</sup>  
 nonnullis conditionibus foedere inito, exte-  
 plo cuncta bello rite administrando neces-  
 saria apparari prouiderique caepit. Pri-  
 mum omnium Iohannes Ranzouus eques,  
 quem

quem cum ob eximiam eius & inueteratam uirtutem, longoque & uario rerum usu comparatam ualidam ac stabilem prudentiam animique robur incredibile, tum expeditam atque efficacem rei militaris scientiam, præ cæteris omnibus tanto muneri maxime idoneum iudicabant, quamquam grauis & proclinata senectæ usus excusatione non nihil reluctaretur, summus belli dux (quem Imperatorem olim Romani uocabant) communi omnium suffragio declaratus est. Ei legatus siue adiutor additus Bertramus Sestadius, qui cum id officij, quod priuatis quibusdam de causis uereretur, ut sibi cum summo belli duce sat bene conueniret, recusaret, in eius locum Franciscus Bulonius, patria quidem extraneus, sed affinitate cum Holsatis contracta non plane ab illis alienus, & ante id quoque tempus regie militiæ ascriptus, à Ranzouio est nuncupatus, & mox per prin.

principes approbatus. Exinde spectatos fide ac virtute viros, & autoritate gratiaque pollentes, unà cum designato belli duce, principes è suis binos quisque elegerunt, qui equitum peditumque, quotquot eorum confluxissent, delectum agerent, ut que coram ipsis in trium pariter principum uerba sacramentis dictis militari more sese obstringerent. In his regis nomine destinati sunt, Nicolaus Ranzouius, praefectus arcis Steinburgi, & Holgerus Ransencranzius senator regni Danici: à duce Iohanne, Otho à Tinnen & Gaspar Bocuoldius: ab Adolpho, Ranzouij duo, Nicolaus cognomento Luscus, & Paulus summi ducis belli filius. Quaestores praeterea illis adiuncti, qui rem pecuniarum eo bello administrarent, cum quibus continuo illi ad copias profecti sunt. Henricus quoque Ranzouius ijs, quibus abs rege negocium datum erat, in dele-

*delectum primum ter quinquies mille  
 thaleros iussu regis per suos adnumera-  
 uit, cum maior argenti summa in tan-  
 ta properantia confici ab eo non posset.  
 Post eos consiliarij belli creati sunt, quo-  
 rum id esset officium, locorum situs in-  
 spicere, hostium consilia explorare, spe-  
 culatores emittere, annonam militarem  
 eiusq<sup>2</sup> in castra conuentionem procurare,  
 de captiuis quaestiones habere pœnasq<sup>3</sup> su-  
 mere, quibus locis, quoq<sup>3</sup> tempore hostes  
 inuadendi essent, conuenientes deliberare,  
 initisq<sup>2</sup> suffragijs statuere, & quæ alia ex  
 usu belli commodoque forent, prospicere o-  
 mnia & administrare, ne toties principes  
 interpellandi essent. Hi fuerunt nobilium  
 honoratissimi quiq<sup>3</sup>, & autoritate atque  
 ætatis dignitatis que prerogatiua maxi-  
 me insignes uiri, ipse imprimis Iohannes  
 Ranzouius eius belli delectus dux, eius que  
 filius Henricus, Breda, Christophorus  
 & Mau-*



& Mauritius Ranxouij, Bertramus &  
 Benedictus ab Aleuelde, Helgerus Rosen  
 cranzius, Bertramus Sestedius. Ab illis  
 postea in consilium euntibus tres legionum  
 praefecti adhibiti sunt, Volfgangus Schö-  
 nesius, Gulielmus Valtherthumbius,  
 Reimarus à Valde, uetusque ille militum  
 praefectus Christophorus Trisbergius, qui  
 praelio Dracenburgensi quanquam fuga-  
 tus inclaruit. De com meatu decretum fa-  
 ctum, quando copias numerosas satis &  
 ualidas haberent, ne praebendo eo suppor-  
 tandoque oppidani & incolae ditionum  
 suarum ultra, quàm necesse foret, graua-  
 rentur. Id autem propterea fuit constitu-  
 tum, quod metuerent, ne forte uoluntarij  
 plures, quàm uellent, ad eius belli famam  
 excitati conuolarent: quorum postea ta-  
 men supra quingentos etiam ad exitum  
 usq<sup>3</sup> belli, Iacobo Blanchenburgo & A-  
 scanio ab Fiolle ductoribus, castra secuti  
 sunt.

sunt. Præter hæc placuit etiam, incolæ &  
 coloni Holsati in Dithmarsiam ut ne ab-  
 ducerentur, sed, in omnem incertæ fortu-  
 næ & dubij Martis euentum, ad fines di-  
 tionis obsidendos seruandosq; relinqueren-  
 tur. Nicolaus itaque Ranzouius, in arce  
 Steinburgo præfectus regius, uir sanè ut  
 augusta senili facie canisq; decentibus su-  
 spiciendus, ita eximia consilij grauitate,  
 inueteratâq; usu longo prudentia rogata,  
 patriæ imprimis salutaris, & disciplinæ  
 militaris artisq; haud quaquam imperi-  
 tus, quod multos in Italia annos ordinibus  
 ducèdis præfectus Caroli Quinti stipendia  
 fecerat, cū Crempermaris & Uilstermar-  
 sis, qui sub præfectū eius sunt, ad Albim  
 fluum eius loci custodiam agere iussus  
 est. Henrico autem Ranzouio seniori, qui  
 potiozem ætatis uirilis partem in armis  
 contriuerat, belloq; eo, quod Christianus  
 Dania rex cum Lubecensibus gessit, ab  
 Olden=

Oldenburgico comite captiuus factus, posteaq<sup>ue</sup> uertente se belli fortuna dimissus fuerat, ad occupandas custodiendasq<sup>ue</sup> Eiderae fluminis ripas Phrisy & Eiderstaddenses, alij que ducatus Slesuici & Holsatiae incolae plerique, attributi sunt.

Naues insuper apparatus omni nauali & armamentis militariter instructas, ad eam expeditionem se collaturum rex designatus promisit, quae ex Dania soluentes in Albim traiceret, et ab ea quoq<sup>ue</sup> parte securitatem socijs praestantes, hostibus omnem nauigandi eius fluminis, recipiendiq<sup>ue</sup> in portus amicas finitimorum puppes, facultatem eriperent. Ideo enim tam prouide & caute haec instituebantur, ut inclusi undiquaq<sup>ue</sup> Dithmarsii erumpere nullibi & euadere, aut auxilia ab exteris submitti possent, commeatusq<sup>ue</sup> & alia bello gerendo necessaria importari. Deinde, si forte praeter spem omnem & expectationem,

tionem, ut sunt belliuarij & ancipites casus, ab aduersante fortuna, incommodum acciperetur, ij ad limites circumquaq; dispositi subsidio ut essent, quò ab ingruente ui hostium protegere sese, illosq; repellere, et praelum renouatis denuò uiribus instaurare ualerent. Ad eundem usum & per Fioniam Iutiamq; nobilibus, ut instructiū paratumq; equitatum ad quemlibet belli dubij euentum haberent, quo mox, ubi accerferentur, ad edictum eius conuolarēt, abs rege designato imperatum est. Percommode quoq; inter Hispanum Gallumque reges pace facta, ex praefectis nonnulli, qui soluto eo bello mittebantur, in eam conditionem principum iussu conducti sunt, si ij opera eorum uti hoc bello necesse haberent, de eo literis certiores facti cum turmis cohortibusque, quas ducerent, statim transire & accedere ad eos maturarent, praesidioque, ubi

cunq; ipsi uellent, adessent. Sic Iohanni etiam  
 Barnero, quem supra memorauimus, argentum numeratum, quo equites  
 quingentos conscriberet, & alij item equi-  
 tum praefecto, quo totidem. Timebatur  
 enim si alias tum maxime, ne, ipsis in Di-  
 thmarsia subigenda occupatis, motus ali-  
 quis ab externis ducibus repente excitare-  
 tur, quod essent, qui hostilem in principes  
 animum gerere haud falso existimaren-  
 tur: urbesq; praeterea finitima suspitione  
 non carerent, quasi, ut Dithmarsis com-  
 modarent, per Holsatiam tumultum mo-  
 turi essent. Quapropter haec omnia ita cu-  
 riosè providebantur, ut, si quis siue mo-  
 tus siue bellum alicunde ingrueret, iustas  
 in promptu copias haberent, quas oppo-  
 nerent, conatumq; omnem & uim ho-  
 stilem ualidis obiectis armis retunderent  
 atq; reprimerent: ita ut in utrumq; pa-  
 rati confirmatiq; essent, & in Dithmarsia  
 bellum

bellum gerere, & illatum alicunde propulsare. Arces item omnes per Holsatiam impositis praesidijs munitae sunt, tormentaq; aenea bellica post tergum tot relictæ, quot iusto exercitui, si opus foret, sufficere possent, ut in omnem belli euentum abunde prospexisse, & sapienter consuluisse sibi uiderentur. Ex eodem quoq; principum conuentu ad comitem Oldenburgicum litterae perscribebantur, cum id commodissime facere posset, cohortes militum tredecim siue quindecim Albim traiceret.

Constitutum quoq; communi suffragio, ut singuli e principibus tormenta sena campestria & bina muralia (pluribus enim indigere se non arbitrabantur) cum apparatu & instrumento omni necessario in aciem adducerent, itemq; plaustra octo. Fossores praeterea mille cõducti, pontesque nauales plures comparati, & commeatus eiusque subuectio assatim procurata:

nempe, ut singuli arcium per Holsatiam  
 praefecti, certum & praefinitum annonae  
 militaris numerum, quotidie ad exerci-  
 tum in castra mitterent. Verebantur e-  
 nim principes, ut ciuitates, haud aequis a-  
 nimis id bellum moueri ferentes, permissu  
 re suis essent, ut commeatum adueherent.  
 Postremo omnia, quorum in bello usus est,  
 quaeque in tanta celeritate confici potue-  
 runt, pro re & tempore diligenter sunt co-  
 parata. Nam longiorem interponere mo-  
 ram minimè omnium consultum uideba-  
 tur, cum nuncijs crebris & rumoribus quo-  
 tidie adferretur, agrestes magno studio &  
 labore pertinaci, undiq; sese commu-  
 nire, & fossas uallosque indies perducere. Neq;  
 enim consilia principum ita prorsus occul-  
 tari & regi poterant, quin haud obscure  
 intelligeretur, quid molirentur, & quo  
 tenderent, & ipsi praeterea principes sibi  
 persuadebant, omnes hostium conatus &  
 uim

vim celeritate praeueniendam & oppri-  
 mēdam esse. Atqui potuisset bellum, cum  
 cura consilioq; & rerum omnium admi-  
 nistratiōe expeditiore, tum impensis mul-  
 tō leuioribus inferri ac geri, nisi tanta A-  
 dolphi festinatio interuenisset. Is enim, siue  
 solus, siue iunctis cū alijs viribus hostes ag-  
 grederetur, in celeritate una maximā vi-  
 ctoriae spem & fiduciā collocauerat. Cate-  
 rium rex, ut Nortorpam in colloquiū sibi  
 ueniēdum statueret, haud facile potuerat  
 adduci. Id extranei quidam praefecti, per  
 omnē aetatem armis assueti, militiēq; ani-  
 mis inquietis dediti, effecerant, cum per  
 homines ad id subornatos metum regi  
 incuterent, rem periculi plenam esse di-  
 citantes, inermem ad hostem armatum  
 ire. Asserebant enim, de machinationi-  
 bus, quae in regis exitium aperte fierent, se  
 cōpertum habere, quod praefectis quibus-  
 dam scirent potestatem literis factā, contra



regem copias conscribendi: quæ tamen li-  
 tera postea intercepta eos uanitatis coar-  
 gauerunt. Huius gregis hominum in prin-  
 cipum aulis magnus est numerus, & u-  
 berrimus semper prouentus, qui peruersis  
 & malignis præditi ingenijs, uitijsq; ad-  
 obruti, cum uirtute uera emergere non  
 possint, prauis innixi studijs & uersutia  
 scelerata audaces, calumnijs, & delationi-  
 bus aliorum in principum fauorem mali-  
 tiosè sese insinuant, & his inuidiam con-  
 flando, illos in suspicionem uocando, odiaq;  
 et discordias passim miscendo, ex aliorum  
 iniurijs et oppressione ad opes ingentes an-  
 helant. Et sæpenumerò improbis eorum  
 uotis improbius multò fortuna aspi-  
 rat, apud principes etiam uigilantes &  
 non malos, quando ferè fit, ut falso sed cal-  
 lide conficta, & ad rem presentem accom-  
 modata, si suspiciouim paulo uerisimilem  
 mouent, profunde animis aculeos figant,

ha-

hereantq<sup>3</sup>, & agrè euellantur, ut ueris lo-  
 cum relinquunt. Eisdem artibus & uete-  
 ratores illi imponere regi, iam tum pri-  
 mum regni habenas excipienti, in animū  
 sibi induxerant, in que spem ueniebant, si  
 succedentibus dolis inter principes sangui-  
 ne coniunctissimos similitatem discordiā-  
 que accendissent, fore, ut bellum inter eos  
 diuturnum contraheretur, quod illi pro a-  
 nimi sui libidine administrantes ducen-  
 tesque, ut fideles & industrij ministri, ex  
 eo honores gratiamque regis aucupari &  
 locupletari nimium possent. Sed hac, quan-  
 quam astute & perfidiosè concepta te-  
 chna, unius uiri solerti industria & cura  
 detecta, & planè subuersa est. Henricus  
 enim Ran Louius iunior ( quem subinde  
 uicarium regium appellamus ) mirè tem-  
 perato dextròque ingenio, & animo nun-  
 quam intermisso præditus, studiosè regem  
 edocuit, propterea fieri iactarique hac ab  
 i 5 illis,

illis, ut dissidiū bellumq̄ alerent, quod quò  
 diu turnius esset, eò ampliores fortunas &  
 opes se consecuturos sperarent. Esse enim  
 homines alienigenas & aduenas, qui ut  
 suum nihil & propriū peregrina in terra  
 possiderent, ita planissimè scirent, se iactu-  
 ram nullam facere posse, sed potius, subor-  
 tis certaminibus intestinis & discordijs, ex  
 qualibet rerū perturbatione, noto artificio,  
 honores & diuitias immēsas captare, quò  
 rebus quietis & trāquillis aspirare nequa  
 quam possent. Etenim sicuti anguilla, nisi  
 aqua agitata & limo turbata, haud ca-  
 piuntur, ita illi, nisi statum Reip. intertur-  
 bent consilijs suis, quod illis solis & uolupta-  
 ti & commodo est, in suos casses pradam  
 cupitam pellicere non possunt. Præterea  
 habere se apud Adolphū & fratrem suū, et  
 alios plerosq̄ propinquitate et necessitudi-  
 ne sibi deuinctissimos, tamen si princeps qd  
 inopinatū & alienū à fide moribusq̄ suis  
 (quod uti crederet haud posset persuaderi)

animo secū agitaret, illos tamē neutiquā,  
 ut exequeretur, esse permissuros. Deniq;  
 Italico aut Hispanico more agere, et aliud  
 fingēdo simulādoq;<sup>2</sup>, aliud animo occultare,  
 malūq;<sup>3</sup> & exitiū alteri subdola amicitiae  
 specie machinari, inter cōiūctos imprimis  
 arcto cognationis et sanguinis uinculo, hi-  
 sce in Cimbricis oris minimē omniū usita-  
 tū esse. Quib; rex persuasus fidē habuit, seq;<sup>3</sup>  
 in uia dedit. Usq;<sup>3</sup> adeo tamē fraudulēta et  
 insidiosa illorū fabrica profecit, ut maior  
 intēriorq;<sup>3</sup> à rege cūctis in reb; cura adhibe-  
 retur, & is quingētis stipatus equitib; Nor-  
 torpā ueniret. Adolphus autē duobus saltē  
 leuib; uehiculis, quibus iumenta excisis  
 genitalibus celeritati insuefacta iungūtur,  
 aduectus est, utq;<sup>3</sup> post uulgatum, non mi-  
 nus de insidijs, quā rex, sibi metuit. Sed  
 hunc uanum timorem & suspicionem in  
 se ipse mox redarguens uerbis confutauit.  
 Nam seipsum allocutus, Non sum, inquit,  
 ignarus generis & sanguinis nostri, nos

inter nos ne cogitamus quidem illa, tacebo, quod faciamus: At si in Italia alijs'ue terris, quibus id frequens & uulgare est, essemus procreati, fortassis alter alteri minime consideret. Equidem si illi maligno iuxta & callido hoc ausu obrinuissent, in colloquium mutuum à principibus ne esset uentum, potuisset grauior inde motus exurgere, & forte conatus eorū successu nō caruisset, qui hoc modo irritus fuit. Solutio conuentu duces illinc uterq; discedunt, hic Rendesburgum, ille in arcem Gottorpam, belloque se ambo parant, isthac omnino spe & opinione, quod coram interesse uellent. Rex autem designatus Segebergam cum Ranzouio uicario suo, qui iam tum arcem eam praefectura nomine tenebat, sese contulit, ubi cum diem unum atq; alterum substitisset, relicto illic comitatu penè omni, Coldingam Iutiae oppidum curribus, quos singulos cantherij terni ob celeritatem

leritatem traherant, properè contēdit. Ibi  
 namq; ex Fionia & Iutia omni nobiles es-  
 quis viris que militariter instructi, ut mil-  
 le & quingentos numero ex aquarent, ad  
 omnem belli casum literis regijs euocati,  
 conuerant. Quibus lustratis, quod exciti  
 paruissent, rex gratias egit, & quia eorū  
 opera, nisi opus foret, hoc bello uti non cogi-  
 tabat, statim demisit. Caterū in regno,  
 ut post tergum pacata & tranquilla ibi  
 relinqueret omnia, quæ opus erant, consti-  
 tuit, apparatusque castrensem & suppel-  
 lectilem, nec non omnia, quibus ad iter &  
 bellum indigere posse uideretur, prolixè si-  
 bi comparauit: perscriptis antè ad Henri-  
 cum Ranouium literis, uti se properè cer-  
 tiorem faceret, quando copia progressura  
 essent. Eo deinde die, qui festā Pentheco-  
 sten antecessit, Segebergam præcipitante  
 uespera redijt, fueratque eadem hebdoma-  
 da magnæ partis militum equitūque dele-

delectus habitus, & stipendia præbita. Supererant autem, qui sub præfectis, Volffgāgo Schonuesio & Reimaro à Valde merebant, ij uniuersi per dies festos lustrati sunt. Ex itinere cum præter arcem Gortorpam rex iter faceret, inter principes fuerat constitutum, ut die Mercurij insequenti Penthecosten in pago Hohenuestede conuentum agerent. Et ut commodius rex interesse posset, triduo antiè Nouomonasterium se recepit, & postridie eius diei turmā prætoriam suam recensuit, & munera distribuit. Vexillum Georgio Raute-no, præcipuæ in Dania nobilitatis uiro, ferendum tradidit, & Iohannē Trusiū Daniæ prætorio præfectū (quæ Marescallum uocant) eius turmæ equitū magistrū creauit, cui legatū siue uicariū adiunxit, Ioschimū Brochtorpiū Holsatū. Sub eo equestri signo supra quadringentos stipendia faciebant. Sextodecimo autem calendas Iunij ex

nij ex constituto principes, cum oratoribus  
 & consiliarijs suis, dicto loco cōueniunt. Ibi  
 postridie consentientibus suffragijs decretū  
 factum, ut quinto post die uniuersæ equi-  
 tatus peditatusq; copia, quāta quāta iam  
 coisset, in fundum hostilem in Dithmar-  
 siam ducerentur. Inde rex in castellum si-  
 ne pradium Melbechianū Henrici Ran-  
 zowij secessit, quartumq; in diem usq; illic  
 est commoratus. Eodem in conuentu lite-  
 ra quoq; quibus bellum Dithmarsis prin-  
 cipes more militia denunciabant (quas  
 nonnulli ab antiqua Romanorū consuetu-  
 dine feciales appellant) cōfecta, & triduo  
 ante, quā fines eorū hostilis exercitus in-  
 grederetur, per tabellarium regium perlas-  
 ta sunt. Ea litera ad quadraginta octoui-  
 ros, penes quos ex omnibus pagis delectus  
 totus terræ procuratio fuit, & uniuersos  
 Dithmarsie incolas, decimo quinto calen-  
 das Iunij datae erant, & in hunc mo-  
 dum.



dum conceptæ. Quandoquidem sibi, legiti-  
 mis dominis & magistratui diuinitus i-  
 p̄sis constituto, impie & sceleratè non so-  
 lum non obtemperarent, contumaciterq̄  
 aduersarentur: sed indignis quoq̄ modis  
 crebro & intemperanter iniurijs grauibus  
 contumelys que incessissent, nec amplissi-  
 mæ quidem maiestati dignitatibusque suis  
 impudenter parcentes: homines sibi sub-  
 ditos magnis frequenter damnis affecif-  
 sent: passim prædas egissent, caedes fecissent  
 pacem publicam turbassent: ut nimirũ,  
 cum eos in subiectâ ditioni suæ oram, quæ  
 sacra terra appellatur, incursantes, nulla  
 neq̄ religio, neq̄ pietas continere & abster-  
 vere potuerit, quin ipsas ædes sacras, cade  
 nefarie inibi perpetrata, funestarent: nec  
 non alia multa abominanda crudeliter  
 & malitiosè commisissent, in omnibus illis  
 nulla iustitiæ æquitatis ueratione habitæ:  
 neq̄ ipsi etiam aut ius administrare, aut  
 alibi

alibi datū admittere uoluissent: quæ qui-  
 dem longo hæctenus tempore essent tolera-  
 ta, ut manus à profuso sanguine puras &  
 innocentes haberent: nunc cum patientia  
 sua & mansuetudine turbulentos & sedi-  
 tiosos eorum conatus, ac petulantiam into-  
 lerabilem, ad eò non frangi aut imminui  
 uiderent, ut etiã magis magisq; in dies au-  
 gescerent, neq; spes esset amplius eos quic-  
 quam pro sanis facturos, se uarijs eorum  
 iniurijs & uolentia multiplici insigniter  
 lacesitos compelli, bello ipsos aggredi, &  
 (adiuuante cœptum Deo) ad imperata  
 faciendâ uini iustâ cogere. Ita enim factu-  
 ros sese, quod officij sui esse agnoscerent,  
 ut obsequentiissimos ditionum suarum in-  
 colas ab iniustâ uini & oppressione defende-  
 rent, cædes, rapinas & incursionses auer-  
 terent atq; depellerent. Veruntamen tam  
 graui, & prouocata & merita uindicta,  
 supplicioq; de ipsis sumendo, supersedere

k multo

multò maluisse. Quo circa hæc ipsis, quam  
 quam ut in rebelles subditosq; sibi id ne-  
 cesse non fuisset, à se auxiliaribusq; suis mo-  
 re militia denunciata esse uoluisse, quò fi-  
 dem suam omni ex parte integram & li-  
 beram præstarent, ad ea ut sese animosq;  
 suos præpararent. Hic nuncius, per quem  
 principes literas miserunt, diu multumq;  
 reluctatus est, ne id munus subiret, quòd  
 usitatam agrestium uiolentiam & furorẽ  
 reformidaret: sed quia ob maleficium per-  
 peccatum aliàs capitali supplicio afficien-  
 dus erat, minis metuq; mortis præsentis su-  
 scipere coactus est. Eas igitur sigillis tri-  
 bus regis ducumque obsignatas, & ad  
 bacilli cãdidi cuspide suspensas, Heidam  
 munitissimum terræ illius oppidum, ubi  
 incole castra statim locauerant, & qua-  
 draginta oclouiri de more conuentum ce-  
 lebrabant, perferens, ut erant annexa ba-  
 culo, uni ex magistratu de facie sibi noto  
 in ma-

in manus tradidit. Vulgato autem de literis hostilibus rumore, plebs indignabunda & fremens, tumultu facto & incondito clamore sublato, tabellarium ad necem poposcit: sed is à quadraginta octo viris furori insanientis vulgi subtractus, et à morte seruatus est. In priuatam enim domum seducto, dum de responso principibus dando consultarent, ne omnem humanitatis affectum penitus exuisse uiderentur, et haberent, per quem rescriberent, epulum praeauerunt, & postea in iuta reduxerunt. Reuersus duodecimo calendas Iunii literas ab agrestibus ad principes retulit: quarum tenorem, quàm potuimus commodissime, stylo Latino ita expressimus.

Literas uestras, serenissime rex & illustrissimi duces, animis inuitis accepimus, quibus significatis, nos causis grauibus ad inferenda nobis arma permoueri, ut ui subacti, id quod iure debeamus, obtē-

peranter uobis præstemus, & imperata faciamus. Ad ea submissis animis non inuaria respondemus, quod in Dithmarsiam iuris quippiam uobis competat, id nequam nos uobis largiri aut permittere, sed esse nos membra inserta Ecclesie Bremensi, eiusq; diœcesi & territorio subditos. In cuius præsulatus tutela & protectione, adiuuante feliciter Deo, per quadringentos amplius annos fuimus, & huc usq; manere perseuerauimus: id quod demonstrari uerissime potest, eiusq; rei gratia per Pontifices maximos, Imperatores & reges, collatis diplomatis munificentissime sumus communiti. Neq; equidem de uobis, uti Christianis & laudatis semper principibus, ac summo clarissimoq; prognatis stemmate, eam unquam spem animis concipere potuimus, quando quidem nobis nulla nobiscum est controuersia: fore, ut contra fas piūmq;, contra ius & æquum, aduersus

sus literas & monumenta nobis data, sigillisq; confirmata, per maiores parentesq; uestros reges & principes, imò aduersus publicam ac graui pœna in sacro imperio Romano sancitam pacem, aureamq; bullam, tanta armorum ui & truculentia, (ut ante oculos, proh dolor, uidere est) nullo prius iudicio conuentos armis nos inuaderetis: sed multò magis humanissima quæq; admnicula & patrocinium, uicinitatem que commodam & beneficam, semper nobis promissimus. Etenim si quod inceptum nostrum iniquum, si qua ullo delicto noxa à nobis contracta fuisset, iustis & legitimis locis appellari & conueniri potuimus debuimus que, ubi ex iuris obligatione sape iudicio stetimus, & nunc stare potuissimus. Quò sanè casu satis superq; à quo iuri subiecti sumus, & quo abundantius uobis satisfiat, ut antea semper fecimus, ita nūc quoq; ui ac potestate harum

literarum, ad omne iuris æquitatis que ar-  
 bitriū nos offerimus. Quod si huius quoq;  
 præter spem nostram, rationem nullam ha-  
 bueritis, & certum fixūque animis uo-  
 bis sederit, nos ditionēq; nostram (ut aper-  
 tē liquet) ui opprimere, uxores liberos que  
 nostros, uiduas & orphanos, in interitū et  
 perniciem internecionēq; misere adigere  
 atq; impellere, manus que ad eō uestras no-  
 stro innocentium cruore & sanguine con-  
 taminare, nos Deo optimo Maximo, sum-  
 mo Imperatori & protectori nostro, cau-  
 sam nostram cōmittere oportebit. Eum i-  
 taq; serijs & ardentibus uotis noctes diesq;  
 implorabimus, ut sanctā suam pacem cle-  
 menter nobis largiatur, & quoniā uestra  
 omniū que nostrū corda in sua habet ma-  
 nu & potestate, ea sacro diuini afflatus sui  
 numine gubernare & regere dignetur, ut  
 uos clemētissimi illustrissimique principes,  
 ab instituto hoc minimē quidē pio disceda-  
 tis,

tis, neq<sub>2</sub> tam atrox uobis malum, tam' que  
 immanē sanguinis profusione, admittere  
 collibeat: sed, ex ingenita animis excelsis et  
 generosis uestris bonitate atq<sub>2</sub> clemētia, exitum  
 finem' que prudenter consideretis, quō  
 utrorumq<sub>2</sub> ditiones, cum uestra, tū nostra,  
 incolaq<sub>2</sub>, uidua, orbi, coniuges liberiq<sub>2</sub>, funditus  
 no euertantur & pereant, sed in pa-  
 ce ac tranquillitate, iuxta diuini numinis  
 uoluntate, conseruentur: cui uos reueren-  
 ter commendatos uolumus. In calce harū  
 literarum, ut fieri solet, subscriptum erat:  
 Quadraginta octouiri Duhmarsia admi-  
 nistratores, eiusq<sub>2</sub> incola uniuersi, regis du-  
 cumq<sub>2</sub> pro equitate omni studiosi et obser-  
 uātes. Undecimo calendas Iunij equitū pe-  
 ditūq<sub>2</sub> copiae uniuersae, quae quaternas tur-  
 mas & legiones ternas efficiebant, horam  
 circiter nonam antemeridianā in pagum  
 Oerichstorp, non procul oppido li Zohoacis  
 Storam fluuium, conueniūt, aderatq<sub>2</sub> rex



ipse & duces. Ibi inuito consilio ex usu mili-  
 tia decretum est, quo ordine exercitus in-  
 grederetur, & inde mox procedi cœptum.  
 Primi omnium antecursores, quibus ex le-  
 gionibus singulis per sortem delectis id ob-  
 uenerat, agmen antecedere, eos insistens  
 uestigijs ala equitum Mauriio Ranzo-  
 uio duce insequi, inde cum fossoribus mi-  
 nora tormenta campestria trahi, post ea  
 duæ Schonuessii & Reimari legiones ince-  
 dere. In medio prætoria turma regis du-  
 cum' que conspici, eæ' que instructa quasi  
 ad prælium acie iunctim sese inferre, hinc  
 legio Valtherthumbiana succedere, postre-  
 mō Blancenburgy turma cum Theodori-  
 co ab Holle, qui & ipse centum circiter du-  
 cebat equites, agmen claudere. Hoc insti-  
 tuto ordine cum mouisset exercitus, eodem  
 die, priusquam sol occideret, in finibus Di-  
 thmarsie, in pago Aluerstorp castrame-  
 tatus est. Erant autem copia omnes, equi-  
 tum

tum circiter quaterna millia, pedittum si- 4000 equi  
 gna quina tricena, cum primum in hosti- re  
 cum peruentum est. Accessit postea cum 50 signa  
 cohortibus quinis denis Antonius comes pedum  
 Oldenburgicus, ut ita demum signa pedi-  
 tum quinquagena impleta sint. Legioni-  
 bus praefecti erant, Volfgangus Schonue-  
 sius, Gulielmus Valterthumbius & Rei-  
 marus à Valde. Equitatū ductabāt Ioa-  
 chimus Blancenburgius, Mauritius Ran-  
 zonijs Cay filius, & Theodoricus ab Hol-  
 le, praeter praetorianos regis ducum que  
 praefectos, qui erant, Iohannes Tru-  
 danus, Bertramus Sestadius & Benedi-  
 ctus ab Alenelt, Vexilliferq; Adolphi  
 Gregorius ab Alenelt. Porro milites trans  
 riuum, qui pagum praeterfluit, tentoria fi-  
 gere, equites pagum occupare. Nocte uerò  
 ea, quae insecuta est, excubias egerunt co-  
 hortēs duæ cum equitibus ducentis, exci-  
 tatusq; in castris tumultus ab octodecim

agrestibus, cū in equites excubitores bombardas disploderent, neq<sup>3</sup> tamen detrimentum ullum inferrēt. Nam uenit miles quidā in castra trepidans, nunciauitq<sup>2</sup> in hostes stationē uigilū impetū facere. Quo rumore excitatus summus dux belli, cū filio Henrico explorabundus prouolauit, sed de aliquo hostiū motu nihil cōperit. Ab his postea, qui diurna praesuerunt custodie, unus ex illis, qui turbae nocturnae causam praebuerāt, interceptus est. Multi quoq<sup>3</sup> postridie, quā eo uentū est, ex armentis hostiū equi bouesque abacti, unde, ut fit, utrinq<sup>3</sup> nonnulli aut cāsi aut capti sunt, et circūiacentes aliquot in propinquo casa et turguria, per milites, quanquā inuissos, facibus illatis exusta. Eodem die, quibus tractanda explicandaque belli rationes commissae erant, indicto cōuentu in consilium inuere, habitaque cum praefectis de faciēdo belli initio deliberatione, est constitutū, ut

ne prius castris excederetur, quàm de consilijs rebus que hostium explorato esset cognitū. Itaq; de captiuis, quotquot eorū intercepti in manus uenerant, per tormenta quæstiones habitæ, & qui de hostium rebus cognoscerent, speculatores emissi sunt. Ad nonum autem calendas Iunij ipsi delecti belli consiliarij, ducta secum præsidio legione Valterthumbij, & ala Blanchenburgiana, in agrum hostilem è castris profisciscuntur, ut omnem undiquaque oram oculis subiyciendo circumuecti speculentur, quibus locis hostes adoriri, ex usu belli quamprimum & quàm commodissimè conficiendi sint. Tres enim omninò auspicandæ oppugnationis rationes inueniebant, ut aut Tilebruggam, aut Hammam, aut denique Meldorpam aggredierentur: quod tribus locis illis planè solis (quæ firmiora erant Dithmarsie propugnacula)

cula) itinera essent, quæ ex campestri terra suu in palustrem ducerent, eam que ob causam agrestes maiore præ cæteris studio & cura, præductis fossis uallisq; & aggeribus proiectis, communiuerant. Principio igitur Tilebruggam aduunt, quo loco Dithmarsii secundum amnis præterlabentis traiectum uallos aggerem que pro se excitauerant: quæ tamen munitio adeo ualida non erat, ut maiorem uim militum incurfantium sustinere posse uideretur: Ibi cum intelligeretur, ex castris hostium plaustra aliquot rerum uariarum, quas tutius asportare cogitarent, suppellectili onusta, in interiorem plagam sese recipere, Henricus & Mauritius RanZouij patrueles minora tormenta campestria, adiunctis scloppettarijs, in collem editione perducunt, & abeuntium terga globis emissis persequuntur, sed stragem nullam faciunt. In hos uicissim agrestes denas circiter

citer pilas minoribus tormentis adigunt, et ipsi quoq; damni nihil inferentes. Erant tum milites, eorum que ductores & signiferi, ad conferendum cum hoste manus prompti animis & alacres, utq; oppugnationis signum daretur, postulabant, sed summus dux belli iniussu principum pugna aleam subire abnuit. Quoniam enim munitio ea transcensu facilis apparebat, & ipse summa inueterataq; militaris experientia dux, naturam militum nouerat, primum eorum impetum, qui plerumque acrior & feruidior esse, ac postea, & tadio ex molestia castrorum concepto, & imminutis temporis diuturnitate moraq; animis, paulatim elanguescere solet, in oppugnatione difficiliori periclitari uolebat. Quamobrem hinc Hammam discedunt, quod oppugnaculum, cum situ ipso, tum incolarum operibus, omnium eius terrae munitissimum erat. Quippe densis id stru

Etis

Elis aggeribus fossis' que præcinctum, &  
 ædificata in super turricula agrestes dili-  
 gentissimè uallauerant, quia in palustrem  
 (ut dictum est) oram aditum frequen-  
 tem præbebat. Quò illis propinquanti-  
 bus, Dithmarsii impulsis tormentis in-  
 gentem pilarum grandinem in eos iacula-  
 ri, uehementer' que detonare, sed nocere ne-  
 mini: qui cum uicum munitioni subie-  
 ctum proximè incendiissent, in castra re-  
 uerterunt. In hac terra hostilis & muni-  
 tionum inspectione, perito eorum lo-  
 corum uia duce usi sunt, homine Di-  
 thmarso, cui Splitteringo nomen erat,  
 qui cum in ditione ducis Adolphi feras  
 glandibus interfecisset, ante sesquiannum  
 captus, eo' que temporis interuallo ad eum  
 usum in custodia habitus fuerat. Po-  
 stero die, ut eius quoque situm & fir-  
 mitatem contemplarentur, Deldorpam  
 eunt, itineris' que monstratores secum  
 du-

ducunt, quendam natione Holsatum, qui propter id oppidum habitauerat, & bello ineunte, ut ita dissimulata fuga agrestes eluderet, carro argilla onusto effugerat, & Bartoldum Petri Dithmarsum. Is erat patria exul factus, quod in actione, qua ei de legitima cum popularibus fuerat hereditate, cum iniquis iudicum sententijs circumuentus iniuriam sibi factam putaret, ad Camerae Imperialis iudicium prouocasset. Ad id uero oppidum nihil memorabile gestum, siquidem unicus tantum equus confossus, & à Reinholdo Ruabeo, patria Dithmarso, qui in Gallia olim inter Germanos equo meruerat, magne audaciae & roboris uiro, in loachimum Brochcorpium Holsatum, breuiore bombardae manuaria dissipata, quales cingulis appendi solent, impetus factus est. Reuersi postridie  
ad



ad principes explorata referunt, & summus dux belli in tabella descriptum exhibet, quo pacto et ordine, aut Tilebruggam, aut Neldorpam, alterutram earum inuadendam censeat, ut q̄ de eo deliberetur. postulat. Tribus enim omnino locis (ut sapius diximus) quibus in interiorem oram palustrem aditus pateret, aggredi hostes decreuerant, in quæ agrestes maximis operibus munita omnem vim suam & robur contulerant, firmisq̄ uigilum & tormentorum præsidijs singulis noctibus custodiebant, ut ibi de patriæ libertate, de salute et fortunis suis suorumq̄, quoad quicquam illis uirium ad propugnandum superesset, ad extremum usq̄ cum hoste dimicarent. Hammam uero omnes firmiorem munitioremq̄ existimabant, quàm ut facile expugnari posset. Sub idem ferè tēporis punctum nuncius à Nicolao Ranzonio in castra uenit, Antonium Oldenburgicum copias

copias suas Albim eo die, cōtra Vedelam  
 oppidum, traiecturum, adferens. Quapro-  
 pter statuitur, ne prius castris, aliquā mu-  
 nitionem hostilem oppugnaturi egredian-  
 tur, quàm is aduenisset: datisq; ad Nico-  
 laum literis Henricus Ranzonius signifi-  
 cat, quibus locis comiti cum suis pernoctan-  
 dum sit, utq; fœno, auena & uino, dono  
 præbitis honoretur. Exinde disceptatur in  
 consilio, ad utrius primùm oppidi expu-  
 gnationem tentandam milites educere,  
 consultius sit, Tilebrugga an Meldorpa.  
 Hanc eligit summus dux belli, quæ caput  
 regionis habebatur, eiusque consilij sui  
 rationes reddit. Omnes, inquit, qui ante  
 hoc tempus Dithmarsia bellum intule-  
 runt, graui & accurato consilio, quod loci  
 summam notitiam tenerent, id oppidum  
 primùm omnium, ut caperēt, adorti sunt.  
 Etenim cū in umbilico penè terræ situm  
 sit, inter duas eius partes, quas à cœli  
 plagis

plagis Suderstrant & Norderstrant inco-  
la uocant, in quibus duobus omnino locis  
omne robur & uis eorum consistit, eo occu-  
pato disiungi & segregari hostes perspicie-  
bant, ne in una castra uires suas conferret,  
& coniuicti animis maioribus, & spe fi-  
ducia que certiore uictoria, repugnarent  
illis, seque defenderent, quos direptos facilius  
per partes opprimere & debellare possent.  
Namque praeter oppidum latus riuus trans-  
uerso Oceanum influit, ita ut haud ma-  
gno negotio & impendio prohiberi queat,  
ne ab una parte laborantibus alijs alij ab  
aduerso latere auxilio aduolent. Praeterea  
comperit non est omnibus, qui bellicis artibus  
& usu ualent, milites primo statim impe-  
tu, dum animi uires que integrae sunt, nec  
laboribus ullis aut molestijs grauioribus la-  
befactae & eneruatae, & ardua & diffi-  
cilia quaeque subeunda ducere, utilissi-  
mum & tutissimum esse: ne dum minu-  
tis

tis lenibus' que in rebus conficiendis ocium  
 teritur, temporis longioris tadio affecti, a-  
 lyls' que difficultatibus pressi, animi eorum  
 & spiritus frangantur. Denique nec il-  
 lud quidem oscitanter nobis cogitandum,  
 magnam milites. facilis ab hostibus repor-  
 tande victoria, spem & fiduciam fouere,  
 quod in homines agrestes, & rei militaris  
 imperitos, praliaturi sint: ideo que ani-  
 mos, ad primum pugnae discrimen &  
 congressum, maximè audaces & arden-  
 tes allaturos. Atqui si in munitioris  
 loci oppugnatione, consertis manibus, su-  
 periores hostibus fuerint, ad reliqua po-  
 stea, qua minus ostendent periculi & dif-  
 ficultatis, eos promptiores & confiden-  
 tiores habebimus. Sin in loco non ad-  
 modum firmo oppugnando, quàm pro-  
 digiosis corporum uiribus, quanto peri-  
 culi & mortis contemptu, quanta ani-  
 morum rabie & pertinacia, se patriamq;  
 l 2 suam

suam defendant, periculum fecerint, de ar-  
 dore & fiducia pristina plurimum ipsis  
 decessurum, quis non uidet? Proinde ad  
 bellum ex sententia quàm felicissimè ter-  
 minandum (quod Deus optimus maxi-  
 mus faxit) ego unum id maximè omnium  
 expedire arbitror, ut potius in inuadenda  
 Meldorpa, oppido satis munito & firmo,  
 primum militum, necdum ullo casu im-  
 minutam & retusam agilitatem expe-  
 riamur, quàm ad infirmam Tilebrugga  
 munitionem subeundam conferamus at-  
 teramusq<sub>2</sub>. Aduersus ea Breda Ranzo-  
 uius, uir sapiens & eloquens, acriter disse-  
 rebat, inter cætera, quibus diuersum per-  
 suadere conabatur, sic inquit: Etenim  
 non semel à maioribus nostris id oppidum  
 infeliciter esse tentatum, usq<sub>2</sub> adeò, ut eo ir-  
 rito conatu non solum de uniuersa victo-  
 riæ spe depulsi, sed, ingentibus etiam acce-  
 ptis cladibus, turpiter fuga salutem qua-  
 rere

rere coacti sint, ex annalibus nostris constat. Et quanquam fuerint, qui illud vi expugnatum in suam potestatem redegerunt: tamen id occupatum adeò nihil illis profuit, ut postea ab hostibus ad internecionem penè cæsi, maximè fœdam & luctuosam calamitatem subierint. Itaq; ne, simili temeritatis exitu, clade aliqua insigni ab infida fortuna mulctemur, infauisto maioribus & ominoso loco primas exercitus vires non periclitandas esse, sed Tibruggæ, quæ debilior & minus minusq; communita est, ut, haud magno labore & periculo superari & capi posse, nemo desperet, admouendas suadeo. Nam si semel milites prosperè cum agrestibus manus contulerint, ad reliqua strenuè & audacter conficienda reddentur multò paratiores atq; agiliores, & quantum ipsis fiducia ac alacritatis accreuerit, tantum hostibus detrahetur: qui, eo loco à nostris

occupato, armenta greges' que suos in interiora terræ recipere cogentur. Quod meū consilium si uobis (uti opto & spero) probabitur, ea hostium munitio breui momento, & non magno labore & iactura militum, in manus nostras deueniet. Aliquot enim equitum peditum' que signa ad Henricum fratrem meum, qui Eidora fluminis ripas cum magna incolarum manu custodit, noctu transmittite, ut is cum suis traiecto amne à tergo in hostes irruat, & nos à fronte adoriemur, ita haud difficulter & laboriose (Deo conatum nostrum prosperante) occupabimus. Erat hic Breda princeps senatus & oratorum apud Iohannē ducem, magnæ que autoritatis & nominis uir, cum ipsa grandis ætatis prærogatiua, tum quod longo rerum usu & experientia iudicij exquisiti, prudentia' que perspicacis senex euasisse crederetur, facundiaq; polleret.

polleret. At in bello & militia idem minus felix habebatur, quod ab ijs olim, qui duce Georgio Schoneichio, Caesaris iussu, Phrisia oppidulū Dam obsidione cinxerant, cum ad eam soluendam cum copijs à Christiano Dania rege missus esset, captus fuerat. Caterum uicit tunc praeualuit que summi ducis belli sententia, ea que à rege designato principibusq; & ceterorum quoq; suffragijs est approbata: sic ut discedens ille è consilio diceret, exitum esse declaraturū, uter eorum melius dixisset. Nam de fratre noctu accersendo quod suaserat, id ita est consutatum, uiris illis agrestibus, & insuetis ignarisq; rei bellicae, fidendum nō esse, praesertim eius loci incolis, qui, si foris (quod Deus omen auerteret) malignante fortuna minus prospere bellum gereretur, erectis in libertatem animis res novas molituri uiderentur. Quocirca de-



cretum ex principum iussu factum, ut eo ordine modo q̄, quem Ranzonius belli dux (ut diximus) ex exacta scientiæ militaris arte & disciplina præscripserat, Meldorpana oppugnatio susciperetur. In primis impedimenta omnia sarcinæ que in castris, sub præsidio equitum quadraginta & peditum circiter mille, relinquerentur: is tumultuum præfectus imperaret. Binæ deinde cohortes Tilebruggam contenderet, earum latera tegeter Blanchenburgus cum equitibus ducentis: totidem item cohortes Hammam equitibus totidem stipata irent, quibus præficeretur vicarius Blanchenburgi. Id enim summo & haudinani consilio ita erat constitutum, ut duobus locis illis eodem tempore, nempe horam circiter ante, quàm Meldorpa oppugnationem ordirentur, in hostes impetus fieret, ut eo uario tumultu in diuersa distracti hostes ignoraret, quò suis subsidio

conuolare, aut ubi potissimum periculo occurrere oporteret, eaq<sup>3</sup> ratione uires eorū disjungerentur. Neq<sup>3</sup> sefellit postea opinio. Nam qui ijs locis erant, cum hostes ad se ire cernerent, aliorum opem implorabant, & accensis (ut conuenerat) ignibus significationem faciebant. Pontes præterea nauales, cratesq<sup>3</sup> sexagena unà ducerentur, quem ad usum plaustra præsto essent. Ternæ legiones, Schöneshio, Reimaro à Valde & Ualtherthumbio ductoribus, à latere Boreali, prope tuguriolum subiectū oppido, irruptionem facerent: quos cum ala sua Theodoricus ab Holle comitaretur.

Et his Bartoldus Petri uiam demonstraret. Oldenburgicus cum legato summi ducis belli, Francisco Bulouio, in partem australem, relicto ad latus pago Vimbergo, oppidum uersus iter caperet, idq<sup>3</sup> ibi à tergo inuaderent. Ipsum, cum peditatu equitatuq<sup>3</sup> suo antecedentem, cum turma

sua Mauritius Ranzovius insequeretur:  
 essetq; illis via dux Holsatus ille, quem ad  
 Meldorpam domicilium habuisse, posteaq;  
 effugisse memoravimus. Principes cū duo-  
 bus signis urbem contra progredierentur, i-  
 ta tamen, ne sub ictum tormentorum sese  
 darent, ibiq; consisterent. Quatuor cohortes  
 ad tormenta praesidio maneret, quibus  
 in colle facinorosorum suspendiis infami  
 constitutis, ea aggeribus uallisq;, ex crati-  
 bus aggesta terra excitatis, munirent. Po-  
 stremo, quae prima legionum peruenisset,  
 iudicium excitatis ignibus faceret, & si  
 pars quaequam munitiones transgredere-  
 tur, ut reliqui certiores eius fieri possent,  
 principes vicinam oppido molam (quod ge-  
 nus his locis usitata uento, in exerta lon-  
 giuscule brachia delato, circumaguntur)  
 illatis facibus succenderent. Dum haec a-  
 gerentur, quarto calendas Iunii Olden-  
 burgicus ad Hogassam pagum copias suas  
 recen-

recensuit, unde collectis uasis cum postri-  
 die mouisset, eodem die propè uicum Tins-  
 butteliu[m], qui ab Aluerstorp dimidio di-  
 stat miliari, in hostico cōsedit, quintis iam  
 castris eò perueniens. Sub idem tempus ad  
 principes Sebastianus Ersamenus Lu-  
 beicensium legatus, quibus erat à secretis,  
 in castra uenit. Is ciuitatis sua nomine,  
 si rationes ulla miri possent, ut, pacatis  
 utrinque animis & pace facta, ab armis  
 discederetur, se intercessurum offerebat,  
 permissu' que ducum Hammam mini-  
 strum suum misit commeatum expe-  
 tens. Quem datis eum in usum lite-  
 ris impetrauit, quibus agrestes arrogan-  
 ter subscripserant: Nos summi duces,  
 praefecti, & administratores belli, nunc  
 temporis Hammæ commorantes. E-  
 ius autem minister cum sub praesidio,  
 quò tutior esset, eò deduceretur, le-  
 ui cum hostibus contracto certamine

pugnatum. Ceciderunt ex Dithmaris nonnulli, ex Holsatis unus duntaxat ignobilis & gregarius eques, & ictus præterea glan-  
 de nobilis Lunenburgicus, ex familia Spor-  
 chia, sed uulnere non lethali. Ersamenus  
 uerò, quia intelligebat, principes oppugna-  
 tionem propediem auspicaturos, nec pro-  
 pter intercessionem suam quicquam in-  
 termittere uelle, liberè tutoq; abeundi ac-  
 cepta licentia, castris excedens domum re-  
 uersus est. Itaq; ut statutum erat, postri-  
 die calendas Iunii, uergente in occasum So-  
 le, horam circiter sextam castris exitum  
 est. Primi uiam ingredi fossores, eos comi-  
 tari ala Theodorici ab Holle, cum cohorti-  
 bus quaternis, inde tormēta curulia pro-  
 moueri, post ea pontes nauales uehi, hinc  
 prætoria inferri signa, postremò legiones  
 ternæ succedere. Inter eas præibat Schon-  
 uesiana, hæc in medio Reimarus à Valde  
 excipiebat, extrema occupabat Valter-  
 thum-

*rhumbius. At summus dux belli Ranzo-*  
*uius, cum signis quatuor & magistro ca-*  
*strorum progressus, secundum collem dam-*  
*natorum supplicijs designatum uallos, a-*  
*lia que subitaria munimēta, quā potest*  
*occultissime, perficit. Porro Schonuesius,*  
*cum fossoribus nonnullis & uia duce Bar-*  
*toldo Petri, primus pontes nauales tradu-*  
*cit, & ad hostium munitionem penetrat.*  
*Eum reliquæ duæ legiones & equites*  
*Theodorici ab Hollen insequuntur. Sed*  
*nimia usus festinatione Schonuesius, dum*  
*sperat, antequam dilucescat, se pontes ia-*  
*cturum, in extremum uitæ periculum*  
*cum legione sese præcipitat. Ubi enim o-*  
*mnem itineris difficultatem eo adminicu-*  
*lo iam superauit, & uia dux Bartoldus,*  
*quod ab una munitionis parte hostes ue-*  
*hementer tormentis infestarent, acceden-*  
*tes, ut equum ascenderet, quem pedibus*  
*abies à tergo reliquerat, esset retrogressus,*  
*per*

per militem Dithmarsum, opinione decli-  
 nãdi ictus tormentorũ, in profundas fossas  
 cacasq̃ uoragines abducitur. Inde militi-  
 bus, collotenus absorbenibus undis, ferè e-  
 natãdum fuit, ad eò ut mirũ sit, quomodo  
 emerferint. Enimuerò nisi Theodoricus  
 ab Holle, cum turma sua superatis fossis eò  
 aduolans, palantibus maturè opẽ tulisset,  
 uniuersa ea legio occidione occisa fuisset. Is  
 in difficili & periculoso illo certamine, quo  
 milites, quod, madefacto aquis puluere py-  
 rio, sclopettis uti non possent, bis ab agresti-  
 bus reiecti sunt, traiecto pila crure uulnus  
 accepit. Schornesius quoq̃, dum optimi  
 simul ducis & militis fortissimi munus se-  
 dulo implet, suosq̃ cum uoce tum exemplo  
 incitans, framea in hostes strenuè rem ge-  
 rit, breui aneo tormento, quasi semisalco-  
 ne, traicitur: ex quo uulnere quarto post  
 die mortem obiit. Nec mora, reliqua mox  
 succedunt legiones, atroxq̃ illic & cruen-  
 tum

rum ualde oritur certamen, quò diu acci-  
 piti, ad sesqui horam circiter dispolis con-  
 tinenter utringq; tormentis & bombardis,  
 acerrimè pugnatum est. Tandem uerò Di-  
 thmarsii exhausti uiribus, pedemq; referen-  
 tes, in fugam sese coniiciunt, milites per mu-  
 nitionem subeūtes in oppidum irrumpūt.  
 Dum hac incerta equato discrimine pu-  
 gna duraret, mola ad oppidum, uti con-  
 uenerat, iniecto igne per Henricum Ran-  
 zouium incenditur, ut eo conspecto signo  
 Oldēburgici accedere, socijsq; subsidio ueni-  
 re maturarent. Ita namq; erat constitu-  
 tum, ut tribus simul locus oppidanos ag-  
 gred erentur, à latere Schonnesius, à tergo  
 Oldenburgicus, à fronte Ranzouius sum-  
 mus dux belli, cum rege & principibus.  
 Cui rei optimo consilio instituta, præ-  
 ter fiduciam mora allata est, dum il-  
 li lentius, quàm res exigeret, iter fa-  
 ciunt. Ferunt, penes milites eius moræ  
 culpam



culpam fuisse, qui progredi aliquandiure  
 cusauerint. At Iohannes RanZouius &  
 Urisbergius, dum in fossis super adis Schon  
 uestiani laborarent, directis prius in hostes  
 impulsis que tormentis uniuersis, pedestres  
 quatuor exhortati, cohortes ex constituto  
 recta in oppidum impetum fecerunt. Ipse  
 RanZouius ingentis indomitiq; animi &  
 inuictæ fortitudinis præclarus dux, ut legio  
 nē in profundo luto fossisq; hærentē oppor-  
 tuno & tempestiuo auxilio subleuaret, e-  
 quo se in pedes demittēs, prima in acie in-  
 ter milites audacissimè dimicauit. Eo ete-  
 nim modo milites nonnihil cunctantes pu-  
 dore simul & æmulatione accendi posse pu-  
 tabat, ne se summum ducem belli pedibus  
 in hostes intrepide uadentem destituisse,  
 minusq; strenuè & confidenter secuti esse  
 perhiberentur. Neq; enim decepit opinio.  
 Nam mox concitato uehementer inuecti  
 impetu milites, pellendisq; agrestibus per-  
 tinaci-

tinaciter incumbentes, tametsi hi mem-  
 bris torosis lacertisq<sup>3</sup> grandibus, & uiribus  
 indefessis, quantum à uiris fortibus in ex-  
 tremo salutis discrimine posuis fieri præ-  
 stariq<sup>3</sup> potuit, obstinatissimè pugnarent  
 propellerentq<sup>3</sup>, nec stationes suas, quam  
 quisq<sup>3</sup> sortitus esset, fuga deserere: sed corpo-  
 ribus tegere cogitaret, cum ne uno quidem  
 confecti uulnere ad terram statim proni  
 caderent: tamen nudato tandem propu-  
 gnatorum corona superatoq<sup>3</sup> uallo, & por-  
 tis refractis, in oppidum irruerunt. Quo  
 expugnato portisq<sup>3</sup> reclusis, confestim A-  
 dolphus tribus quatuorue comitatus equi-  
 tibus inuehitur, post eum rex cum ala præ-  
 toria & Henrico Ran Louio, inde utraque  
 ducum turma. In primo irrumpentium  
 furore & impetu, quicquid in oppido e-  
 iusq<sup>3</sup> circuitu reperiū, trucidatū est, uiaq<sup>3</sup>  
 omnes, plateæ & domus, cruore sædata &  
 funeribus repleta. Nec ipsis quidem sæ-

minis parsum, cum multæ earum ab in-  
 dignante milite interficerentur, plures op-  
 pido exigentur. Nam & tunc, cum casti  
 spoliarentur, & antea exploratò erat cog-  
 nitum nonnullas ex ipsis inducas armis  
 uirisq; immistas, supra quàm animus mi-  
 liebris & natura ferret, pro stationibus  
 præliatas esse, fœminamq; unam milites  
 duos unum post alterum cultro confodisse.  
 Ita incredibilis libertatis patriæq; amor,  
 omnem innatam eo in sexu molliem &  
 formidinem superauit. Ceciderunt autem  
 in ea oppidi expugnatione, ex Dithmarsis  
 circiter quadringentos, ab altera parte, &  
 qui in pugna cæsi sunt, & post ex uulne-  
 ribus obierunt, penè centum: inter quos  
 fuit Iohannes Strugmannus Danus, mi-  
 litum præfectus. Occubuit quoq; Wolffgan-  
 gus Schonnesius, uiri diximus, constanti a-  
 nimo & egregia fide dux, et Danielis Ran-  
 zoni præfecti militum signifer graui-  
 ter

sauciatus. Enimvero, nisi segnis ea militum  
 in accelerando intercessisset cessatio, & quo  
 decretum erat modo, triplex eodem tempo  
 re inchoata fuisset oppugnatio, conclusis un-  
 diquaque agris nullam effugiendi paruis-  
 set uia, & ad unum omnes, quot quot in  
 oppido essent deprehensi, in hostium manus  
 deuenissent. At qui equitum incursum as-  
 uersa oppidi parte eieci in fugam sese effu-  
 derunt, eò deflexere, quò Oldenburgicus cum  
 suis aduentabat. Hi signa nouem expli-  
 cantes, uicena circiter tormenta grandia  
 secum ductabant, & cum elabendi uiam  
 aliam nullam conspicerent, rectè in comi-  
 tem ibant. In quos equitatus delatus impe-  
 tum fecit, Mauricijq; Ranzouij ala ad tre-  
 centos eorum cecidit, & tormenta prae-  
 rea parua grandiaq; quinque & uiginti, &  
 magnam uim pulueris ad tormenta impellenda  
 perfecti signaq; non pauca ademit. Ita tertio  
 nonas lunij ante horam undecimam diurnam

*Meldorpa* capta & expugnata est, eiusq<sup>2</sup>  
 propugnatores & incolæ, partim interfe-  
 cti aut capti, partim fuga elapsi sunt. Ste-  
 tere aliquantisper instructa acie in oppido  
 milites, quod a prestes ad amniculum quæ-  
 dam ex fuga confluere conglobariq<sup>2</sup> nun-  
 ciarentur, sed ipsi ( ut dictum est ) per im-  
 missos equites disiectis, permissum militi-  
 bus ad direptionem & prædam discurre-  
 re. Hi uero ingruente uespera oppido egres-  
 si, prope illud septentrionem uersus foris  
 confederunt, intus remanentibus equiti-  
 bus. Oldenburgicus in pago *Amesphurto*  
 in australem à *Meldorpa* plagam teten-  
 dit, nec procul inde *Mauritius Ranzo-*  
*nus*. Ie sequenti die, propter contentionem  
 inter equites peditesq<sup>2</sup> ortam de præda,  
 quam omnis generis opimam & uariam  
 ( nam eò accolæ, ut in locum tutiorem, ad  
 primum belli motum opes fortunâsq<sup>2</sup> suas  
 omnes contulerant ) nacti erant, in oppi-  
 do mora

domoratracta est. Milites enim, quia suo potissimum periculo & labore eius diei uictoria steteret, dum ipsi propter perpetuas interiacentes fossas equis adactis hosti cladem inferre non possent, exclusis equitibus prædam quoq; omnem sibi uendicabant. Sed eo graui & periculoso tumultu (uix enim præfectorum interkursu & obtestationibus contineri poterant, ne ad arma consternati in sese uerterentur) principum imperio atq; autoritate utcunq; sedato, constitutum, ut postridie uniuersa copia oppido Brunsbuttelio admoueretur. Id uero, quod meliora essent capta consilia, in tertium diem reiectum dilatum que est. Quippe Reimarus à Valde cum cohorte una, & Blanchenburgus cum equitum ala, ad Nicolaum Ranzouium Albis fluminis ripas tenentem missi, ut iunctis cum eo uiribus, quando summus belli dux à fronte cum maiore exercitus mole expu-

gnando Brunsbuttelio incumberet, ipsi à tergo impressionem facerent. Namq; hostes circumuallatos undiq; facilius opprimi, & intercluso ita aditu, ne reliqui Dithmarsii subsidio & suppetiis ferendis aduolarent, prohiberi posse iudicabant. Hiigitur Dithmarsia egressi, capto per Holsatiam circuitu, ne id, quod agere animis destinauerant, ab agrestibus animaduertetur, ad Nicolaum perueniunt. Interea temporis castra inspecta, mortui collecti numerati que sepultura traditi sunt, obiter que deliberatum, de impedimētis quid ageretur, & porro hostes, qui in Hamma alijs que locis Dithmarsia altioribus sese communiuerant, quomodo essent inuadendi. Schonuesij quoq; defuncti cadauer, quemadmodum ipse uita excedens rogauerat, in Holsatiam asportatum, & honorifice, ut decuit, hzohoe tumulatum est. Deduxerunt equites quadraginta, quos prin-

principes ad id muneris obeundum delege-  
 rant. Quia enim agrestes vias omnes &  
 itinera, ut commeatum intercluderent,  
 positis diligenter ubique custodijs obsede-  
 rant, uerebantur, si cadauer forte interce-  
 ptum in manus eorum peruenisset, ne in  
 id more suo saeuitiam immaniter exerce-  
 rent. In eius locum Christophorus Urisber-  
 gius legioni praefectus est. Hunc principes  
 designauerant, & tamen si omnium sepe  
 animi in Danielem Ranzouium, fortem  
 & egregium uirum, essent proclinati, cum-  
 que, ut praecleara generis nobilitate & sin-  
 gulari militia studio conspicuum, praefectu-  
 ra ea dignissimum iudicaret: tamen is  
 in gratiam regis, etiam refragantibus no-  
 nihil militibus, ipsi praelatus est, ne per  
 Ranzouios omnia eo bello stare & ad-  
 ministrari uiderentur. Porro ex ca-  
 ptiuis cognitum, habuisse agrestes clan-  
 destinum in castris principum speculatore,



qui ipsis retulerit, constituisse principes nocte ea, quæ expugnationem Meldorpa anteceffit, modicum militum equitumq; agmen Tilebruggam mittere, qui ibi hostes congregiendo distinerent, reliquas uerò copias omnes quæ occultissimè ad Hammã inuadendam ducere. Quamobrem misisse eius oppidi defensores habitatoresq; eadem statim nocte ad Meldorpanos, quæ ea nunciarent, & tam præsentis imminente periculo ex pacto opem implorarent: eorum autem è numero quingentos, omni armorum genere pro more suo instructissimos, uix diu oriente Sole, eò profectos esse. Ea uana opinione delusi agrestes, impellente procul dubio diuini numinis ira, & ad pœnam iam pridem meritam uocante, suum ipsorum oppidum præsidio eo detractò nudarunt. Ex quo intelligitur, quàm salubri & utili consilio decretum fuerit, ut, emissis nonnullis copijs, inuadendi illas munitiones

Species

species agrestibus præberetur, qui hoc modo  
 decepti alij alijs opem maturam, ut ne-  
 cessitas postularet, ferre nequiverint. Ete-  
 nim est credibile, si unum in locum conso-  
 ciati omnes vires suas & robur contulisse-  
 sent, potuisse eos aliquam fortasse cladem  
 hostibus inferre, aut certè maiore conatu,  
 & successu minus infelici sese defendere, et  
 difficiliorem multò luctuosioremq; aduer-  
 sarijs efficere victoriam. Tertio post captã  
 Meldorpam die, summus dux belli cum  
 cohortibus legionarijs, Oldenburgici, U-  
 risbergij, & Valterthumbij, quibus cum  
 ala sua aderat Mauricius Ranzonius, mo-  
 tis castris oppido excedit, & ad rivulum  
 quendam, ubi aquabantur agrestes, &  
 munitionem fecerãt, haud procul Bruns-  
 buttelio consistet. Quò cum propius acces-  
 sissent, speculaturi, qua ratione sub exortã  
 primum lucem rectissimè oppugnarent, e-  
 quus Urisbergij, quò nehebatur, glande  
 m 5 sclopetto

sclopetto emissa, interficitur. At postridie, qui dies erat septimus Iduum Iunij, prouecti ulterius secundum Albim, ut hostem aggrederetur, sabulosum & satis solidum inueniunt uadum, ubi nullum antea fuerat. Id conspicati agrestes, protinus desertis munitionibus fugam arripiunt: in quos adactis equis sese inferunt equites, & nonnulli quoque milites per circuitum uiam interceptantes sese obijciunt: ita ut illo etiam die ad quadringentos eorum caesi & profugati sint, signum unicum ereptum. Agrestes uero uehementer fuga institerunt, ut insequentium uim euaderent. Exant superioribus diebus plaustra militari annonae onusta ab his multa intercepta, fuerant que commeantibus ex castris admodum infesti, & imprimis nobilem regium puerum, ex gentilitio Qualiorum in Holsatia stemmate, à regina literas ad regem filium deferentem, duobus medium globis

lis transadegerāt. Neq; ex uulnere tamen  
 statim uita defecit, sed ab eo infausto ipsi  
 loco, qui circa molendinum fuit ad dimi-  
 dium à Meldorpa miliare, in uliginem si-  
 ue lacunam palustrem euadens, literas in-  
 columes regi pertulit, altero que post die a-  
 nimam efflauit, & Meldorpa humatus  
 est. Ceterum summus belli dux, cum le-  
 gione Oldenburgica Brunsbuttelium ad-  
 ortus, id uicinitate, hominum autem fere ne-  
 minem reperit, quod omnes capta fuga il-  
 linc metu hostium profugerant. Nicolaus  
 quoq; Ran Louius, ubi de consilijs sociorum  
 accepit, cum Reimaro à Valde & Blan-  
 chenburgo, ex Uilstermarsia finibus cos-  
 pias eò statim traduxit. Blanchenburgi  
 autem turmam summus dux belli, quò fir-  
 miore illa praesidia tenerentur, ad princi-  
 pes in castra remisit. At milites, cum  
 tam prospera conatibus illorum fortu-  
 na aspiraret, excurrere praedas que agere  
 cepe-

cæperunt, imprimis Oldenburgici. Quo temporis momento, cum Valterthumbius quoq; cum suis superueniret, qui horis ante meridianis hostes anteuertens sese ipsis obiecerat, eaq; interueniente mora post socios nonnihil fuerat relictus, eius sclopettarij Oldenburgicis sese coniungunt, & iniussi in hostes progrediuntur, existimâtes, se agrestes penitus fuga disycere & concidere posse. Sed, quoniam horam circiter octauam aut nonam iam uespera præcipitabat, belli dux cum Oldenburgico alijs que præfectis reliquos milites educere noluit, uerum communibus suffragijs decreuerunt, sub primam exorta diei lucem omni illata ui hostes laceffere, pugnaq; aleam subire. In oppido itaq; belli præfectus cum Oldenburgico pernoctauit, Valterthumbius ad pagum proximum tentoria fixit. Eadem nocte Blanchenburgi uicarius cum ducentis equitibus ex castris prætorijs Bocelem-

celenburgū mittitur, ut, qui hostiū isthac  
 fugiendomanus militum euaderent, eos i-  
 pse turma sua exciperet conficeretq;. Quā  
 ad rem & Mauricius Ranzouius, cum de-  
 lecta trecentorum equitum ala, in loca ter-  
 ra aridiora à patruo duce belli collocatus  
 est. Itaq; in albescente cælo, paratis ad pu-  
 gnam animis, statim moueri cœptum: sed  
 hostium pars maxima iam noctu profuge-  
 rat. Quadringenti circiter agrestes, cum  
 puerorum imbellium et mulierum turba,  
 ad casas duas, quæ tota palude & aquis pe-  
 nitus circumfundebantur, confluxerant,  
 ductisq; fossis, & subitarijs factis munitio-  
 nibus, ex plaustris coactis, centonibus, stra-  
 gulis, culcitris, aliaq; materia promiscua,  
 ut quæq; fors obtulerat, intra eas aduersus  
 hostilem uim & impetum sese continere  
 & defendere parabant. Posteaquam au-  
 tem legionibus undiquaq; circumdari, &  
 quasi indagine se claudi conspiciunt, pro-  
 tinus

tinus arma abiiciunt, & sine conditione  
 ulla sese dedunt. Quos Ranzouius dux  
 belli ubi uidet nudos atq; inermes maxi-  
 me esse homunculos, subito rem omnem  
 ad principes defert. Ea dum ita geruntur,  
 rex cum Iohanne duce Holsatia superue-  
 nit, atq; statim, subeunte generosum atq;  
 sublimem eius animum commiseratione,  
 ut data impunitate in gratiam recipiat, ca-  
 lamitate & miseria illorum permouetur.  
 Neq; tunc tamen certi quicquam de capti-  
 uis decernitur, ademptaq; eodem die hosti-  
 bus aenea tormenta campestria septem.  
 Postridie eius diei, cum hanc ob causam  
 in consilium esset uentum, res que mul-  
 tum disceptaretur, duces ambo annis anti-  
 misq; florescentes, cum nonnullis oratorum suo-  
 rum (inter quos erant Breda Ranzouius  
 & Bertramus Seftedius) facile permisif-  
 sent, mox interfectos fuisse: ut nempe tam  
 execrabili & saeva, nullamq; clementiam  
 pro

pro merita ex gente prognati, tot præclaris  
 & illustribus maiorum suorum animis,  
 quasi inferiæ, essent mactati. Tandem uero  
 cum Ranouus reuersus huic deliberatio  
 ni interueniret, diceretq; crudele omnino  
 & Tyrannicum esse, eiusmodi homines de  
 ditios trucidare, eiusq; sententiæ rex acce  
 deret, unanimes consensu est statutum: ut, pri  
 moribus exceptis, qui in Holsatiâ traditi  
 diuersis in arcibus, ad exitum belli custodia  
 traderentur, reliqua multitudo acervatim,  
 cum liberis coniugibusq; in naues collata Al  
 bim traiceretur. Ita unius ferè hominis cle  
 mentiore iudicio ips omnibus, uita impetrata,  
 et tot animæ à præsentis morte seruatae sunt  
 mandatumq; legato summi ducis belli, ut is  
 eam rem procuraret, et missa iuramenti formu  
 la, in quâ coceptis uerbis captiui iuraret,  
 priusquam dimitteretur. Postea placuit mox  
 omnibus, ut tempore pomeridiano in senatum  
 redirent, consultarentq; redacta iam in  
 pote-



potestatem australi Dithmarsie plaga, qua ratione hostes, qui in opposita ora boreali, collatis è omnibus suis uiribus, diligentissime sese firmissime que communiuissent, & extremam ibi fortunam suam periclitari statuerent, porro inuadere & persequi oporteret. Eodem tempore quidam ex statione uigilum Dithmarsicorū ad hostes transfugit, quò referente cognitū est. statuisse priori nocte agrestes, incenso per mulieres oppido, in castra pratoria repentino facto impetu inuadere, in quibus ad Steldorpam principes cum mediocri presidio remanserant: sed dum in itinere fuissent, oborto inter eos terrore, supra centum abiectis armis rebusq; omnibus in pedes se coniecisse & profugisse. Quare detectos animis perturbatos que ceteros incepto destituisse, & mox, quo uenerāt, regressos esse. Eius consilij, tametsi uani & irriti, haud absurda tamen fuerunt rationes.

Scie-

Sciebant enim agrestes, maximam copia-  
rum partem fortissimamq; inde abductã  
esse, eamq; duntaxat legionem prasidio ca-  
stris relictam, quæ nuper in oppugnatione  
Meldorpæ, amissis pluribus uiris egregijs  
& fortibus, uehementer imminuta atte-  
nuatãq; graue uulnus accepisset, ita ut eã  
facile superari & opprimi posse, minimè  
diffiderent. Præterea unico saltem hoc mo-  
do, si eo accepto rumore hostes irritò cona-  
tu ceptis absistere, & ad defensionem &  
subsidium principum celeriter reuerti, co-  
gerentur, se suis in supremo uersantibus di-  
scrimine opem ferre posse, perspiciebant.

Neq; sanè abhorret omnino à uero, quem  
admodum aptius utilius ue tum nihil ab  
ipsis quiniuit excogitari, ita euentum quoq;  
pro uotis feliciter potuisse respondere, si eo  
modo, quo erat deliberata res, gesta & ad-  
ministrata fuisset. Reuerso autè in castra  
legato summi ducis belli, uehemens & tur-  
bulenta

bulenta denuò de præda contentio exarsit,  
 his, ut diuideretur, illis, ut uenderetur, fla-  
 gitantibus. Et quanquam principes, quic-  
 quid ad eos cum iure suo, tum equitatus  
 prætoriani nomine, redire posset, id omne  
 ultrò ipsis remitterent condonarentq; ta-  
 men neq; ita subortus in castris tumultus  
 compesci & cohiberi potuit. In eam des-  
 mum ab omnibus sententiam itum con-  
 sensumq; est, ut singulis ex decurijs singuli  
 prædæ præfecti deligerentur, qui in castris  
 ad partuendum interim exuuias mane-  
 rent: eo' que pacto turba sedata est. Qua-  
 re progredi, & hostem, donec omnino esset  
 profugatus uictus' que, prosequi decernit-  
 tur. Imprimis per delectos belli consiliarios  
 hæc ratio inita & instituta. Oldenburgi-  
 cus cum equitatu peditatuq; suo, & Mar-  
 ricij Ran Louij turma, in principum ca-  
 stra ad Meldorpam reuerteretur, ibi sub-  
 sisteret, & tormentorum custodiam age-  
 ret.

ret. Idibus deinde Iunij, cum primum diluxisset, hostibus simulato sese ostenderet, quasi Hemmingstadium, ad id oppidum oppugnandum, omnibus uiribus contendere, utamq; eo ferentem ingredi uellet, ubi Iohannis Danorum regis uniuersus olim exercitus caesus fususq; est: uti ita hostibus suspicio iniceretur, ipsos quoq; eadem uia illos aggredi cogitare. Pridie autem Idus terna cum principibus legiones, & ala Blanchenburgi, hora circiter tertiam uel quartam à meridie, recta Tilebruggam irent, eoq; in loco in hostes impetu facto irruerent. At his aduersatus Oldenburgicus consilium turbauit, qui morari in castris abnuuit, ut pro se quoq; aliquam bello gloriam sibi uenaretur, nec deses & quietus alieni laboris belli' que spectator in tentorijs delitesceret. Ex quo illud incommodi consecutum, quandoquidem facta commutatione Valterhumbium cum suis

ad castrorum tormentorumq; custodiam  
 relinquere oportuit, & milites potando sese  
 largius aliquanto inuitassent, ut plurimi  
 ex ipsis in castris permanserint, nec dimi-  
 dia pars, vexillum quisq; suum, sit insecu-  
 ta. Quae res principibus causam praebuit,  
 ut diutius in itinere haerent, dum reli-  
 qui aduenirent. Milites enim, quotquot  
 in uia iam erant, semel atq; iterum signa  
 sistentes, progredi recusabant, ita ut rex  
 uehementer incandesceret, diceretq; ad cir-  
 cumstantes, nebulones eos facturos, ut bel-  
 ligerare impostherum se paeniteret. Lube-  
 ret quidem, aiebat, in bellica hac palaestra  
 exerceri uersariq; diutius, sed eyciam ani-  
 mo eas cogitationes. Soluta illis sunt stipen-  
 dia, obligati sunt nobis, & has turbas con-  
 citat: quid faceret, si nos obstructi ipsis aut  
 obarati essemus? Enimuerò, de praeda  
 quòd altercantur, ad nos quid attinet?  
 Exinde imperatum signiferis, ut praelatis  
 vexillis

uexillis ipsi progredierentur, quo uiso, mili-  
 tes ad continuandum iter excitabantur:  
 idq; eo ordine confectum. Primam aciem  
 efficiebat ala Blanchenburgi, ei Urit Zber-  
 gius cum legione Schonuestiana succedebat,  
 tormentisq; duodenis minoribus, nec non  
 pontibus naualibus uniuersis et fossoribus.  
 In medio equitabant principes cum tur-  
 mis pratorianis, eas reliquæ duæ legiones  
 comitabatur, agmen claudebat equitatus  
 Oldenburgicus. Iter uerò extendentes in-  
 uetera castra ad pagum Aluerstorp di-  
 rexerunt, quod illic pontes nauales non-  
 nullos reliquissent, eoq; in loco aliquandiu  
 sunt commorati. Ibi præfecti tribunis mi-  
 litum & decurionibus denunciant, præ-  
 dam posthac eius fore, qui eam ab hoste ce-  
 pisset: eo tamē pacto & cōditione, ut ne an-  
 te ad prædā discursus fieret, quàm hostis  
 esset profugatus. Vix orta luce, relictis ca-  
 stris Tilebrugge appropierant, quam du-

plici oppugnatione aggredi in consilio erat  
 decretum. Ranzonius autem praefectus bel-  
 li, comitantibus nonnullis, propius equo  
 aduectus, speculatur, qua parte munitio  
 hostilis tutissimè inuadi possit. Ea erat u-  
 nicum saltem propugnaculum, aggere pre-  
 ducto & palude uoraginoso fossaq; muniz-  
 tum, ad quod unicus omnino erat aditus,  
 in quem tormèta sua agrestes contulerāt.  
 Gloriabantur illi, hostes suos eo loco saepius  
 à se prostigatos & deletos esse, cum irrum-  
 pere tentauissent. Quod si tunc quoq; Hol-  
 sati incautius in eam se uiam intulissent,  
 nec ipsi fuga deseruissent munitionem, for-  
 tassis detrimento & clade aliqua insigni  
 afficere potuissent. Aderant autem rari  
 propugnatores, qui custodiae duntaxat e-  
 rant relictī, cum reliqui decepti errore  
 Hemmingstadium confluxissent, ut suis  
 suppetias ferrent, in quos illic omni mole  
 irruunt uros hostes credebant. Illi ubi uident  
 hostes

hostes accedere propius, extēplo munitione deserta in fugam præcipites se conferunt: milites uerò gregatim ingruētes iter sibi ut aperiunt, aggeremq̄ demoliuntur. Subit inter primos ipse summus dux belli pluribus comitatus, utaq̄ facta penetrātes cum ad uicium quendam peruenissent, ibi nonnullos ex agrestibus offendunt, quorū parte maxima interfecta, ex suis quoque aliquot glandibus traiectos desiderāt. Interea cum ala sua Blanchēburgus aduenit. Habebat multis indicijs pro cōperto & explorato Ranzouius, pagum eum & oppidum Heidam nihil interesse, ubi hostes ex fuga resistere, & in arma sese colligere possent, præter unū amniculū, quē propter palus esset. At quia uineris monstrator nullus erat in promptu, (exploratores enim post tergum procul aberant,) eum filius Henricus Ranzouius, quo cum Haruardus Langius erat, submonuit, militem se ex



itinere allocutū esse, qui notam sibi uiam  
 diceret. Hoc milite duce cum quinquagin-  
 ta ferme equitibus eò contēdit, repertusq̄,  
 quem diximus, amniculus desertus, quo  
 tr. iecto, per nuncium Blanchenburgo si-  
 gnificat, amniculum à se teneri, utq̄ acce-  
 dere maturet, hortatur. Regem quoq̄ du-  
 cesq̄ de eo certiores facit, qui non diu mo-  
 rati, celeriter ultra amnem prosequuntur.  
 Iamq̄ equitatus penè uniuersus transmi-  
 serat, militum uerò pleriq̄ post tergum ab-  
 erant longius, cum ad pernoctandum in  
 oppido Heida, (neq̄ enim inesse quenquā  
 arbitrabātur, qui contra se arma sumere  
 auderet) loca atq̄ hospitia inter se sortiri  
 instituunt: ortaq̄ inter cohortium turma-  
 rumq̄ praefectos altercatio, cum neutri al-  
 teris se permissuros contenderent, ut ipsi so-  
 li oppidum tenerent. Quam contentionem  
 ita dum emit Ranzouius belli dux, ut equi-  
 tes peditesq̄ simul in eo pernoctarent, cum  
 suis

suis in primis principes, deinde pars una e-  
 quitum, altera militum. Est uero oppidū  
 Heida celebri eius loci emporio, & adifi-  
 ciorum structura atq; elegantiā, omnium  
 in Dithmarsia ornauissimum, in quod in-  
 termedium fere incolæ ex omni ea ora sta-  
 tis diebus ad mercatum coeunt: solebantq;  
 in eodem conuenire singulis hebdomadis,  
 septimo quoq; die Saturni, quadraginta o-  
 ctouiri, & negocia procurationis suæ ex-  
 pedire. Huo permissu Ranzonij Iacobus  
 Blanckenburgus & Ascanius ab Holle,  
 qui uoluntariorum equitum duces erant,  
 exploratum proficiscuntur, & nacti in i-  
 tinere mulieres, quæ Blanckenburgo mul-  
 sum porrigerent, ex ijs cognoscunt, uiros in  
 oppido esse, cumq; castrorum praefectus  
 propius oppidum adequitasset, cum eodē  
 ad suos se recipiunt. Quaterna enim agre-  
 stium signa eminens conspexerant, quæ in  
 citato cursu se persequerentur: fastiq; po-

stea ipsi sunt agrestes, se in turri ministris  
 sacrorum habuisse, qui capitis sui periculo  
 ipsis affirmauerit, ducentos tantummodo  
 aduenire equites, qua causa fuit tam au-  
 dacis eruptionis. Hostes quoque post collem  
 abditi ita latebant, ut conspici ab ipsis  
 non possent. Ea quatuor uexilla cum  
 paucis tormentis, qua secum aduexe-  
 rant, ubi longius progressa sub equitum  
 conspectum uenerunt, qui nuncio eo ac-  
 cepto uix acie instructa, unaquaque seor-  
 sim turma, ut eò acriorem in hostes im-  
 pressionem facerent, constituerant, pedem  
 referre cœperunt. Tum uerò equites, ada-  
 ctis repente calcaribus equis, in uerten-  
 tes terga agrestes inuecti prouolant, stra-  
 gemque faciunt. Rex designatus cum  
 equitatu pratoriano secundum collem,  
 ad cuius latus laeuum palus erat, rectè  
 à fronte contra locum eum, quo tor-  
 menta ab hostibus erant collocata ir-  
 ruit,

ruit, ipse primo in ordine decoris & fulgentibus armis generoso in equo conspicuus. Ad eius utrumque latus hinc inde Iohannes & Adolphus duces consanguinei sese inferebant, & ipsi ferè à fronte in tormenta euntes. Ioachimus autem Blanchenburgus, capto retrorsum ambitu, Adolphi turmam circumuectus, oppidum que petens, inter illud & equites prætorianos se medium cum alarijs suis constituit, ita ut hostium nemo ad oppidum penetrare posset. Itaque hi sermè omnes trucidati, ad octoginta saltem nonaginta uè circiter in paludem, quæ regia turma à sinistris erat, fuga elapsis: quanquam & eorum complures, dum interim sclopetarij aduenirent, ab ipsis interfecti sunt. Atque ibi spectare fuit, milites duos, cum bombardas displosissent, uni agrestium terga dare: nec medijs-

fidius

fidius inter arma & tela militaria in ex-  
 tremis ponenda est hasta oblonga ei, qui  
 probe scienterq; uti nouerit, quemadmo-  
 dum hoc bello cognitum est. At sclopetta-  
 ry, quoniam sequi recusando diu fuerant  
 terguersati, plurimis que subsistentibus  
 cunctanter admodum & segniter iter fa-  
 ciebant, ipsi turmā pratoriam regis, dum  
 ab altero latere hostem fugientem perse-  
 quuntur, uulneratis equis non leui detri-  
 mento affecerunt. In eo conflictu sortes im-  
 primis et clari uiri, sub pratorio præsertim  
 regis uexillo, aut illatis uulneribus saucia-  
 ti, aut cæsi sunt. Iohannes Truzius Danus  
 equitum magister, cum primum in hostes  
 impetum fecisset, equo lapsus grauitè in  
 pectore lancea uulneratus est. Nicolaus  
 Truzius globo per corpus adactò traiectus,  
 sed uulnere non lethifero. Ericus Pode-  
 buschius, & ipse Danus nobili ortus sans-  
 guine, ad latus regis glande ictus cecidit:  
 eodemq;

eodem' que fato *Andreas* quoq; *Frisius* occubuit. Caterum dum fugientium passim uestigijs insistitur, saucij & exanimés abducuntur, ecce nouum agrestium signa sese in conspectum dant. Quæ ut longius sub incursum equitum patentem in campum prouherentur, uniuersa equitum turma post colles (ij omnino tres leuiter assurgentes nõ procul oppido imminent) sese recipiunt occultant' que, ne statim ab hostibus conspiciantur. Militum quoq; cohortes, quotquot iam aduenerant, composita ad prælium acie constituuntur, quos summus belli dux aliquandiu moratus sic cõtinuit, quò hostes ulterius sese effunderent. Illi cum tormentis suis alacriter oppido egressi, penè ad tormenta usque hostilia procedunt, uix triginta aut quadraginta passuum interuallo segregati. Ibi equites iterum sortem & egregiam gnauiter operam præstant, & in hostes irruunt. Regia tur-

ma

ma, ne per medias cohortes perumpere co-  
 gatur, reflectit sese, & ad leuam oppidum  
 prætergreditur. Reliqua signa pratoria &  
 ala Blanchenburgi, idem uersus oppidum  
 ad dexteram sese inferunt, ita ut ex hosti-  
 bus nonnulli inter equitatum & milites  
 medijs intercluderentur. Hi in pratum  
 fossis & aggere paruo cinctum recedere:  
 ibi que uiriliter & impigrè sese defendere  
 usq; ad eò, ut, quatuor in illos signiferis im-  
 petum facientibus, uni eorum signum,  
 cum id trans fossam saltu subssecuturus  
 in terram ante se fixisset, eriperent, ad  
 reliquos aggerem fossas que contis trans-  
 uolantes ( cuius rei usu longo & assuetu-  
 dine peritissimi sunt agrestes ) sese eice-  
 rent, eos quoq; cum socys in fugam com-  
 pellerent. Id Adolphus conspiciatus, cum  
 non procul inde equo insidens ad collicu-  
 lum substitisset, cum paucis, quos ad cor-  
 poris custodiam iuxta se habebat, aduo-  
 lat,

lat, manu signiferos corripit, utq; in hoste  
 sese conuertant, in clamat, in hac prorum-  
 pens uerba: An uos, signifери atq; mili-  
 tes, uiros armis exercitatos, & militia sem-  
 per deditos, agrestibus & ignaris rei mili-  
 taris hostibus, imò undiq; conclusis & iam  
 propè uictis, tam turpiter terga præbere  
 non pudet? uultis nouo dedecore & igno-  
 minia culpam, quam dudum haud leuem  
 in itinere progredi tergiuersantes com-  
 misistis, accumulare & exulcerare? E-  
 ste memores honoris & existimationis  
 uestræ, sistite fugam, signa in hostes  
 semiuictos conuertite, si noxæ pristinae  
 & iniuriæ memoriæ, fortiter & in-  
 trepide audendo, abolere & extingue-  
 re cupitis. Quod si feceritis, fidem  
 do uobis, quacunque nocte præterlapsa  
 minus recte & obsequenter perpetra-  
 ta à uobis sunt, condonata uobis o-  
 mnia, & obliuioni perenni obruta  
 & ob-



& obliterata esse debere. Quibus uerbis,  
 ut conuersi hostibus ora uultum' que præ-  
 berent, uix eos potuit adducere. Ipse inci-  
 tato stimulis equo in globum agrestium  
 perrumpit, & unum imprimis glande sclo-  
 petto breuiore impulsa petit traycit' que.  
 Is uerò, uulnere haud tardante, uicissim  
 insurgens in ducem, qui totum armis sese  
 exuerat, quoniam is dies, ut erat tum an-  
 ni tempus, admodum esset æstuosus, iterz  
 ' que longinquum, ut præoccupato amnicu-  
 lo hostem suo cum bono & commodo an-  
 teuerterent, nocte tota die que sine inter-  
 missione confecissent, alteram præterea no-  
 ctem ludendo cum rege in somnis fortè ab-  
 sumpsisset, esset' que nonnihil, post primã  
 in hostes impressionem, & æstu nimio &  
 labore itineris defatigatus, in dorso supra  
 coxendicem, qua spina coniungitur, eum  
 alaparda ( sic usitatum nostris illud ar-  
 morum genus uocant ) grauiter sauciat.  
 Præuide.

Præuiderat hominem, auidum impetendi  
 sui, in sano impetu in se proruerere princeps,  
 et auersum prope latus equi sese paululum  
 incuruans demiserat: id nisi fecisset, eo-  
 dem loco fuisset lethaliter ab eo confossus.  
 Eductus est prælio triyugo celeri curru,  
 quod ad eò durum & immite esset uulnus,  
 ut ex patente eius hiatu acceptum per os  
 spiritum redderet: idq; ei in pago, non lon-  
 ge ultra amnem, præsentis ope chirurgica  
 alligatum, applicatisq; fomentis lenitum  
 est. Quo animaduerso à militibus, quo-  
 rum pars maxima iam confluxerat (nam  
 duo circiter millia, ut animorum libidini  
 morem gererent, ne pedem quidem loco  
 mouerant, neq; quisquam ex illis huic pu-  
 gnæ interfuit, quos scilicet omnes suspendio  
 mulctatos in exemplum cæteris statui o-  
 portuisset) quanquam & continuo labo-  
 re uia, & æstu intolerabili, uehementer  
 essent lassæ omnes, acri facto impetu in il-  
 los

los irruunt, ita ut uniuersos inde propelle-  
 rent. Ex his trecenti circiter angusto in  
 loco, in quem incumbentium militum ce-  
 leritate turmatim & perquam arctè e-  
 rant conclusi, quasi in cumulo conferti re-  
 stiterunt. In quos, ceteris cunctantibus,  
 fortis & audacis animi miles, cum de  
 plaustro axem duabus cum rotis & te-  
 mone, quo tormentū fuerat aduectū, qua-  
 si munimētum corporis ante se promouisset,  
 machera siue spatha oblonga lataq;  
 (quod genus ingentes gladij nostro seculo  
 ualde usitati sunt, & qui eos gerunt  
 milites, ambabus manibus regentes, hasta-  
 riy miscentur) corpora metens primus ir-  
 ruptionem facit. Nec mora, eum commi-  
 litones audacter sequuntur, & quotquot  
 agrestium ab ipsis non sunt interfecti, &  
 cum trans aggerem aduersum precipites  
 sese demitterent, aut in equites, aut cete-  
 ros milites inciderunt, ita ut maxima ex  
 illis

illis quoq; pars concisa et deleta sit. Interea temporis equestres turma in oppidum irrumpunt, sed quia hostibus illic detrimentum ferè nullum inferre poterant, eos que oppidani ex ædibus, quasi anates alias ueferas uolucres, certis & destinatis ictibus passim sclopettis petebant, mox inde sese recipiunt, cum quidem peditatus subsidio carerent. Atqui rectius fecissent, quando quidem ipsis, ut id facerent, non erat imperatum, si ea oppidi inuasionè plane abstinuissent. Supra ceteros enim, qui tunc aut uulnerati, aut cæsi sunt, Marquardus Rannouius unicus parentis sui filius, eiusq; familiae nobilis hæres ultimus, sub dorsum in uestica glande parua ictus est: ex quo uulnere nõ ita multo post Itzohæ fati concessit, & cadauer in patriam reuectum est. Durante eo ad Heidam certamine, Mauricius Ranzouius, simul ac flamas in sublime uolantes procul

conspexit, tormentorumq; disflusiones &  
 bōbos auribus hausit, ab Hemmingstadio  
 cum sexaginta equitum ala eò aduolat,  
 oppidumq; contra sese opponit, ita ut, qui  
 in oppido erant, si fugam capere uellent, e-  
 labendi uiam nullam inuenirent, quin in  
 equites incurrerent. Quo uiso Dithmarsii,  
 quorum pars aliqua ad id usq; temporis,  
 ceteris partim saltu ad terram missis, par-  
 tim fuga elapsis, pertinaciter resistens lo-  
 cum suum defenderat, uniuersi penitus in  
 fugam sese effundunt, oram palustrem per-  
 tentes, quæ fossis undiq; & paludibus cir-  
 cumsepta, non facilem hostibus accessum  
 præbet. Ipsi primo contuitu socij, & impri-  
 mis milites, ignorare, sui an hostes essent,  
 qui equos nacti eos conscendissent. Trecentos  
 demum circiter agrestes, qui ex fuga eò  
 declinantes deferebatur, Mauricius equi-  
 tati suo ita excepit, ut labentes & humi-  
 strati terram corporibus tegerent. Ab illis  
 uicissim

uicissim Theodoricus ab Holle uulnere fatali confossus est. Ceterum agrestes, tamen si magna clade uicti dissipatiq<sup>2</sup>, sola fuga se manibus hostiū eripuissent, in palustri tamen terræ situ ex fuga conglobati, & quasi uim omnem & impetum hostilem excepturi repulsuriq<sup>3</sup>, constiterunt, cum sole iam occidente ad uesperasceret. Quapropter dux belli Ranzouius mox equitatū eō contendere, & hostibus sese obijcere atq<sup>2</sup> obsistere iubet, dum ipse ad capiendum oppidum milites educat, ne interim à tergo in eos impetum facerent, ipsiq<sup>3</sup> præterea milites ad illud inuadendum essent audentiores, quod pluribus statim locis incensum est. Inde uniuersas simul cohortes oppido admouet, etiam reclamantibus plerisque, quibus hoc consilium eius uehementer displicebat. At ipse nullis aduersantium clamoribus, de sententia & instituto dimoueri se se patiebatur, cū existimaret, nisi agrestes

oppido profligaret expelleretq<sup>3</sup>, tota ea nocte exercitum omnem quietem nullam habiturum. Tum primùm frequentes & terribiles reboantium tormentorum fragores & tonitrua exorta, cum & incendia in oppido, quæ ab iniectis facibus cæperāt, liberè lateq<sup>3</sup> uagarentur, ut intrare hostes haud temerè formidarent, & coloni inessent uastis & lacertosus corporibus robustissimi, qui, uti in supremo uitæ discrimine, pertinacissime dimicabant, donec uniuersi, uel occisi uel concremati, mortem opterent. Quo oppido capto, milites mulsum & cereuisiam (ut uocant liquorem frumento & lupulo excoctū) nacti, ad reuocandas paulisper ea potione uires, siti & inedia & aestu & defatigatione penè amissas, uti cæperunt: sed non permissum, ut longiorem ingurgitandis illis in oppido morā facerent. Quandoquidem enim sol ex conspectu iam sese subduxisset, non uidebatur

debatur Ranconio exire esse, ibi lentius agere, aut commorari diutius, militesq; ad locum tormentorum, ad quæ relictus cum haud multis rex substiterat, reduxit: hostilia uerò tormenta conquisita, & in cumulum congesta, secum auexit, & Blanchenburgum, cum ala sua in extremis collocatum, tutari agmen iussit, donec castra posita, & tormenta constituta essent. Ita uno die ter in hostem irruptio facta, pugnae que trinae, & ipsae quidem acerrimae grauissimae que, confertae sunt.

Equites, nulla interposita laboris remissione, equis in se suis iter facientes, uiginti quatuor amplius horas in ediam sitimque patientissimè tolerarunt, adeò ut ex regis satellitibus unus, præ lassitudine animo deficiens, sub equum delaberetur, animam que redderet. Erant enim Meldorpa sub uesperam egressi, horam circiter tertiam aut quartam, noctem que



insequentem profecti totam exegerat, nec prius tentorijs collocatis quies fuit data, quam altero die sol occidisset. Equidem uix erat credibile, equos tanto conficiendo itinere laborem tantum, in eo praesertim canicularis syderis rabioso molestissimoq; ardore, perpeti & sustinere potuisse. Et fuerat aggressus ex itinere rex summum ducem belli, dum tjeidam properaret, ut, si consultum ipsi uideretur, siquidem multum spacij & uiae progrediendo iam emensi essent, multum laboris & molestiae pertulissent, uia paulisper abscederet & quiescerent. Id quod nonnulli, inter quos & antiistes Lubecensium erat, magnopere probabant, nec ineptè omnino aut futiliter suaderi uidebatur. Verùm dux belli, ueteri suo constanter innixus consilio, ut nullum hostibus sese colligendi confirmandiq; spacium daret, id aperitè regi dissuadebat, inter cetera ita inquiens: Sinemus ergo

ergo rei bene prospereq; gerendi occasionem  
 manibus elabi? teq; rex inclyte, eo absces-  
 su & mora, haud absimili fugæ & trepi-  
 dationi formidolosa, rusticis fugitiuis ter-  
 ga dantem conspiciemus? Ego certè malim  
 nunquam in hanc lucem me editum, quã  
 in tam secundo uictoriae cursu tantum de-  
 decus sustinere et admittere. Ad quæ rex,  
 sese assentiri & unà progredi uelle retulit,  
 atq; sic eodem die pugnatum, et in pagum  
 irruptio communi consilio facta est. At  
 postquam in locum destinatum, quo rex  
 cum paucis ad custodiam tormentorum  
 remanserat, copia omnes equitum pedi-  
 tumq; coierunt, oritur controuersia, ubi  
 nam castra metari præstet. Nonnulli, quo-  
 rum & equi & ipsi quoq; ad eò lassî, æstuq;  
 confecti & excocti erant, uix ut progredi  
 ultra & pedem figere possent, in hanc ma-  
 nibus pedibusq; sententiã ibant, ut eodem  
 loco castra locarentur. Illud uerò, quia

omnino in consultū erat, & tum rex ipse, tum summus dux belli improbabāt, quod is locus oppido propinquus esset, longiusq̄ inde exercitus, si manerent, adaquare cogeretur, & præterea Adolphus in pago Uilsa saucius substitisset, repudiatum est, decretumq̄ retrò Hammam ire, ibiq̄ fixis tentorijs noctem agere. Quod & factū est, positaq̄ ad Hammam secundum amniculum castra, iam iamq̄ nocte ingruente. In fronte aenea tormenta, postea peditatus collocari, inde equitatus ad exitū amnis succedere, propter summā equorum lassitudinem. Pro certo enim credebatur, agrestes insana animorum ferocia uehemēter tumētes, & temeraria quadam pertinaciq̄ confidentia plenos, usq̄ adeò ut æquo iniquo loco pugnam capefcere iuxta haberent, ne quaquā noctū quietē acturos, quin deniò in castra incursionē facerent. Insequenti nocte & oriente die altera plurimi passim præ-

præstâtes et generosi equi exanimati sunt,  
 confecti ardore pridiano solis et laboris in-  
 tolerãtia. Adolphus aut in castra, ubi sui  
 tenderet, curru uehi se iussit, quò tutior ad  
 exercitiũ esset. Eum rex cœnatus horã cir-  
 citer duodecimã noctis comiter inuisit: &  
 profecto grauiter admodum ex uulnere la-  
 borabat, ita ut familiares eius & ministri  
 de uita diffideret. Porrò in triplici eius diei  
 prælio ex Dithmarsis, qui cæsi post inuēti  
 numeratiq<sup>2</sup> sunt, præter eos qui saucij per-  
 noctẽ reptando euaserãt, et postea expira-  
 rũt, circiter tria millia occubuerũt. Ab al-  
 tera parte milites, neq<sup>2</sup> laboris neq<sup>2</sup> periculi  
 multũ adẽntes, paruo quoq<sup>2</sup> incõmodo affe-  
 cti sunt, stetitq<sup>2</sup> potissimũ ea per equites ui-  
 ctoria, quorũ pars modica cæsi, pars uulne-  
 rati sunt, et in uniuersum tamẽ casorũ nu-  
 merũ nõ supra trecetos fuisse constat. Inter  
 clarioris nominis et ortus proceres, cũ quo-  
 rũ antea meminimus, tũ Oldenburgicus  
 comes

comes sub mēto glande ictus, summus praefectus belli Iohannes RanZouius fragmine pila resilientis supra genu, Iuo Reuentlo-  
 uinus per pedem, Paulus Ritzerouius &  
 Borchardus ab Aleuelt per crus uterq;  
 Iohannes RanZouius iunior per lumbum,  
 pilis minoribus adactis sauciati sunt. Eo-  
 dem corporis loco et Gregorius ab Aleuelt  
 globo traiectus, isq; quia initia uulneris ne-  
 gligentius curata erant, nono post die Ren-  
 desburgi uita decessit. In cuius locum post  
 acceptum uulnus, quod uexillum turmae  
 praetoriae Adolphi gereret, Ioachimus Rā-  
 zouius successit. Baroni praeterea à Dono-  
 manus perfossa, & legatus Iohannis Ran-  
 zouij Franciscus Bulouius in pectore ha-  
 sta uulneratus est. Ipse deniq; rex designa-  
 tus in hac pugna fuisset glande interfectus,  
 nisi Bertramus ab Aleuelt citato cursu  
 irruens in eum, qui oculis in regem uersis  
 colligans id facere destinabat, auertisset.

isq̄ illata sclopetto plaga Bertramum ita exercuit, ut sub equum caderet, & confisset omnino, nisi rex mutuam ei operam tulisset. Eadem nocte castra uigily diligētissimè munita sunt. Nam nouem circiter stationaria peditum cohortes in excubijs sunt collocata, & equitatus pro se quoque intentus haud negligenter rerum suarum curam gessit. Etsi uero exigua eo loco annonae copia fuit, milites tamen cereuisiam, quanta ad sitim restinguendam sufficeret, adepti sunt, eaq̄ per legiones & cohortes est distributa. Ex Dithmarsis postea confecto bello cognitum, si sclopettarios ineunte bello stipendijs conductos, quos contra naues Danicas (quarum supra mentionē fecimus) secundum Albim ad eas arcendas uniuersos constituerant, in tantulo temporis momento reuocare potuissent, uoluisse ipsos denuò fortunam suam periclitari, hostes que impetu nocturno in castra  
illato

illato aggredi. Sanè id inceptum infeliciter  
& calamitose ipsis cessisset. Quippe erat om-  
nino planus patens que, & equorum u-  
sui aptissimus, ante castra locus, & haud  
difficiliter peditatus, qui iam omnis coiue-  
rat, tam diu sustinisset agrestes, quoad ce-  
quites uniuersi conuenissent. Quo fa-  
cto, quotquot in id tempus eo bello Mars  
reliquos fecerat, & ipsi quoque uniuersi  
uita spoliati fuissent. Postridie eius diei,  
propter equos oppido quàm defatigatos,  
quies acta est, & nihilo tamen minus  
in consilio deliberatum, quo pacto reliquie  
hostium delerentur. Est enim Dithmar-  
sia, quemadmodum & confinis ei Holsa-  
tia (quod priore libro demonstrauimus)  
in duas omnino partes diuisa, Campestem  
& palustrem. Illa, superatis fugatis que ad  
Heidam incolis, iam tota in uictoris exer-  
citus potestatem concesserat, cum, ea clade  
suorum nunciata, & reliqui, qui loca op-  
pida-

pida' que intacta & intentata ab hosti-  
 bus in ipsa obtinebant, in palustrem es-  
 fugissent. In hanc exundantem aquis, fos-  
 sis que ac paludibus ab ipsa natura egre-  
 gie munita, in ipso belli exortu & passim  
 post, pleramq; inutilem ad arma gerenda  
 etate imbellemq; sexum, & res suas cha-  
 riores contulerant, & demum, post ultimam  
 grauissimamq; eam acceptam plagam, om-  
 nes ex fuga superstites turmatim in eam sese  
 receperant, atq; conferti omnes unum que  
 in agmine densati, quotquot arma ferre poss-  
 sent, consistebant, quasi extremam ibi propu-  
 gnando belli aleam subituri. Itaq; consulta  
 batur ab hostibus, altera iam capta suba-  
 ctam que, qua ratione & illa Duhmarsia  
 pars in potestatem redigi posset. At prope-  
 rante iam in occasum sole, ecce duo inde sa-  
 crorum mystæ in castra legati ueniunt, ni-  
 uenū bacillū uterq; manib. gestantes, et episto-  
 lā supplicē ab agrestib. ad principes datā,  
 sic



sed apertam & nullo obfirmatam sigillo,  
 deferunt. In eius fronte siue inscriptione  
 (quemadmodum in principum literis ul-  
 tra citraq<sup>3</sup> datis fieri consuevit) eos Dith-  
 marsiæ dominos uocant: quam tituli par-  
 ticulam, ut contrariam & detrahentem  
 libertati suæ, nullis antea literis unquam  
 tribuentes, uehementer semper impugna-  
 uerant. Ceterum in epistola & per legatos  
 submisit suppliciterq<sup>3</sup>, per Deum perq<sup>3</sup> o-  
 mnia sacra, rogant & obtestantur princi-  
 pes: primum, ut eos legatos suos humaniter  
 patienterq<sup>3</sup> audire, & ipsis fidem habere:  
 deinde sibi ut inducias dare, ab infestatio-  
 ne hostili interea abstinere, & quibusdam  
 ex octoquadraginta uiris, quos postredie  
 missuri sint, comeatu siue libera tuto eun-  
 di redeundiq<sup>3</sup> licentia præbita cauere, atq<sup>3</sup>  
 in colloquium admittere uelint: ut, ijs ca-  
 lamitates & miseras suas extremas ex-  
 ponentibus, rationes ineantur, quibus ter-  
 ram

ram omnem, saluis incolarum corporibus ac bonis, in deditiōem ac fidem clementer accipiant. Legatos misso praesidio ad se deductos, ut, eo praclaro & insigni exemplo, pietatem singularem & benevolentiam suam erga id genus viros sacros testaretur, rex in praetorio suo comiter excepit, et bene eos sperare iubens Nicolao Coldingensi (is ipsi à sacris concionibus erat) commendauit: ut cibum unà cum ipso caperent, & mutuo colloquio tempus fallerent, dum in senatu de dando responso deliberaretur. Commeatum uerò siue saluum (ut uocant) conductum, quem agrestium uerbis petebant, ipsis trium principum nomine iussuq̄, patente in diplomate & sigillo suo genilitio in calce signato, summus dux exercitus Iohannes Ranzonius dedit: ut postridie ex quadraginta octo uiris, qui omnium Dithmarsiae incolarum uerbis agerent, pacemq̄ peterent, ad horam duodecimam

p

decimã in castris præsto essent, libera eum  
 di abeundiq̃, cum uellent, copia facta ab  
 omnibus illis, qui yisdem in castris milita-  
 rent. Fidem quoq̃ suam yisdem literis as-  
 strinxit, medio intercedente tempore, dum  
 ea actio duraret, inducias fore, nihilq̃ ho-  
 stile, quotcunq̃ in eo exercitu stipendia fa-  
 cerent, & facturi essent contra ipsos susce-  
 pturos. Addidit, deniq̃ legatis discedenti-  
 bus tubicinem suum, qui hos eò deduce-  
 ret, & illos tuò in castra reduceret. Inse-  
 quenti igitur die, qui erat decimus septi-  
 mus calendarum Iunij, quinque ex octo  
 quadraginta uiris, cum sacro rei diuina  
 ministro, & uno à secretis, eodem tubici-  
 ne & obuiam misso equestri præsidio co-  
 mitati, in castra se conferunt: quibus in  
 tabernaculum Pauli Ran Louij, filij sum-  
 mi præfecti belli, deductis, prandium datũ  
 est. Interea principes cũ proceribus & ora-  
 toribus suis, quomã Adolphus ex uulnere  
 æger

ager lecto decūberet, in prætoriū eius conueniunt, senatūq̄ habent. In eo conuentu, quia nemini dubium erat, eō loci redactos esse agrestes, ut uim hostilem nullo modo sustinere diutius, aut resistere possent, uaria serebātur agitabāturq̄ quæstiones. Sūma uerò deliberationis illa erat, utrum hostes bello ad excidiū usq̄ persequi, an ditione in fidem accipere præstaret. Nam quoniā de uita Adolphi periculum erat, idq̄ oēs metuebāt, minus libera dicebātur sentētia, quod is præsens suffragij & uocis uniuscuiusq̄ testis et auditor adesset. Qui forte hoc animaduertēs, neq̄ paululū, tamen si graui & periculoso accepto uulnere, inclemētior amariōrue seipso factus, et præclarissimo pulcherrimoq̄ generosi et excelsi animi decreto ad lenitatē et māsuetudinē p̄clinatus, primus omnium apertē prolixeq̄ suadebat, ut cōditioes ferretur, quō pacē hostib. pctētib. darēt. Ea primus sciētia,

plena profectio uera ardentisq<sup>3</sup> pietatis &  
 humanitatis, ab omnib. uno quasi ore pro-  
 bata acceptaq<sup>3</sup> est. Etenim & hoc in consi-  
 derationem plurimum ueniebat, si incolas  
 funditus delerent, excinderetq<sup>3</sup>, ex ea sub-  
 acta terra multis annis nihil compendij et  
 emolumenti percepturos principes: & cū  
 fossas & aggeres & catarrhactas, quæ ad  
 mare sunt, ruinis in se turpiter collapsus-  
 ras: tū præfectos & singulos tribunos mili-  
 tū, in ora labore periculoq<sup>3</sup> suo domita et ca-  
 pta, aliquid dominij & proprij concupitu-  
 ros. Postrēmō milites pingui ora inuetera-  
 tos præda auellere, terrā que educere, oppi-  
 dō laboriosum & graue fore: omnes in ea  
 desideraturos locupletari, & passim quos-  
 cunq<sup>3</sup> etiam, licet laboris & opera nihil pa-  
 rum ue impendissent, contentionem & li-  
 tem moturos. Itaq<sup>3</sup> re diu multum que  
 disceptata, tandem pacis condiciones con-  
 ceptæ conscriptæ que sunt, & in hunc mo-  
 dum

dum legatis exhibitæ. In primis Dithmar  
 si debita fidelitatis sponsione, & iurissuran-  
 di religione (quod homagium uocant)  
 principibus sese obstringent, ut ceteri earum  
 ditionum habitatores de more & consue-  
 tudine faciunt: uexilla prætoria & signa  
 militaria, quæcumq; olim Danorum regi  
 Iohanni & fratri eius Friderico, Holsatiæ  
 duci, prælio uictis erepta sunt, cum omni  
 preciosa castrensi supellectili, quicquid eo-  
 rum apud ipsos reliquum fuerit, sub iura-  
 mento restituent. Impensas belli, cuius ipsi  
 autores sunt, uictoribus rependent soluet-  
 que, quæ quidem ad sena centena millia  
 aureorum excurrunt. Principes ius & po-  
 testatem habebunt tres arces siue castra,  
 quibus ipsi locis uelint, auxilio eorum &  
 operibus in Dithmarsia edificandi:  
 quas cumq; uerò munitiones & propugna-  
 cula isthoc tempore terra habitura est, sun-  
 ditus diruentur, euerietur, solo que aqua-  
 buntur.

buntur. Ad sustinendas arces ydem tantum agri, prati, pascuorum, campi nemorisq<sup>3</sup>, sibi retinebunt, quantum in usum necessarium desiderabitur: accolaq<sup>3</sup> in ysdē de more gentis operas facient, & angarias prestabunt. Omne quoq<sup>3</sup> merum mixtūq<sup>3</sup> imperium, territorium, ius ac dominium, uenationes et piscationes, quaeq<sup>3</sup> his affinia sunt, in uniuersa terra sibi uendicabunt. Quicquid apud Dithmarsos machinarū et tormentorum bellicorum erit, item que armamenta omnia & arma, tam singulorum quàm publica, unum in locum comportata uictoribus tradent, nec sine permissu eorum reparabūt. Cum bellici sumptus redditi soluti que erunt, ex agris & pascuis tantum quotannis pendent, quantum nunc ipsi accipiunt, cum alijs ea locauerint. Imperialia & Pontificia, ac aliorum cuiuscunq<sup>3</sup> ordinis & dignitatis procerum diplomata, quotquot supersuerint,

rint, bona & integra omnia fide, datóque iureiurando exhibebunt: & quacunque exhibita non fuerint, & literas & sigilla obliterabunt, irrita' que & inualida per scripturam facient. Iurisdictione, iudicia iura' que omnia, per principes constituētur: ad ipsos prouocatio libera erit, nec ultra se se extendet: multa' que ad eosdem omnes recident, eadem ratione et modo, qui in reliquis eorum ditionibus obseruatur. Ad exactiones præstandas, tributa precaria & pensiones contribuendas, erunt obligati, & æquè ut uniuersi Holsatiæ Stormariæ que incolæ: & fœderibus, quibuscunque iam nunc cum quibusuis contractis deuincti tenentur, renunciabunt, & cuncta dissoluent, nec alia porro inibunt. Quibus conditionibus, ubi probata accepta' que, & in eadem sponsio facta iuratum' que fuerit, principes Dithmarsos, ut sue

p 4      ditionis



ditionis habitatores sibi subditos, in deditio-  
nem & fidem accipient, bonaq; ipsis sua et  
possessiones saluas & integras relinquent,  
conseruabuntq;. Postremo, supplices prin-  
cipibus fient, & solenni (ut decet) ritu cul-  
pam deprecabuntur, literisq; appensis si-  
gillis fidem suam obstringent: &, quoad  
ea uniuersa, quae sunt commemorata, in-  
tegre praestentur & impleantur, obsides  
dabunt, octo de administratoribus octo  
quadragenta uiris, & sexdecim gentis prin-  
cipes. Eo dato acceptoq; responso legatos  
abeuntes, ut propositas ad suos condiciones  
referrent, quoniam inter milites, belli quã  
pacis cupidores, clam spargi sermones tur-  
bulentos, de uia expedita pacis monst-  
randa pacificatoribus, fuerat cognitum, lega-  
tus summi ducis belli Franciscus Bulouius  
& Henricus RanZouius, in pacatum usq;  
comitati sunt. Ut autem conspicerent in-  
telligerentq;, quanta ob improbam & in-  
domitam

aomitam animorum pertinaciam, ab indignante sceleribus hominum diuino numine, poena sui affecti essent, quam & ipsi, nisi is initis pactis pacem acciperent, non essent effugituri, secundum cadauera & acervos caesorum, qui passim per agros inhumati adhuc iacebant, eos deduxerunt. Postridie eius diei rex designatus, quia de pace facienda actio iam instituta, belloq; finis penè impositus erat, & ipsi abesse diutius regno uix liceret, quòd dies inaugurationi præfinitus non admodum erat longinquus, omniaq; ad eius solennitatem necessaria etiamnum præparanda forent, ut in regnum rediret, ex castris Ithoam abit. Amplissimam autem & integram danda negandaq; pacis potestatem scripto fecit ac reliquit Iohanni Ranouio, eiusq; filio Hærico, quibus, ob egregiã & sæpius probatam in rebus præclare gestis prudentiam & dexteritatem et fidem,

plurimum tribuebat : itemq<sup>ue</sup> pecuniam  
 apud eos deposuit , qua in supplementū ex-  
 exercitus, si necessum esset, copijs cōscriben-  
 dis uterentur. Tertio post die, quā di-  
 scēssissent, ( tantum enim ad deliberan-  
 dum temporis spacium impetrauerāt ) le-  
 gati Dithmarsici equestri præsidio ex-  
 cepti in castra redeunt, & omnium Di-  
 thmarsia incolarum nomine, quid de  
 pacis conditionibus se facturos responde-  
 ant, scripto comprehensum deferunt. In  
 quo præsati, se per Deum, & saluifera-  
 ram eius pro genere humano satisfactio-  
 nem, animis demissis orare et obsecrare, ut  
 cum uxoribus suis, liberis que, uiduis &  
 orbis, in fidem saluis corporibus & for-  
 tunis accipiantur, & non ad extremam  
 usq<sup>ue</sup> perniciem & interitum deleantur,  
 ad singula ordine capita respondent. Quod  
 primum, inquit, in conditionibus est, ei  
 subscribimus, id' que, ut uerba sonant, re  
 exe-

exequemur. Quod bellicos sumptus, quorū  
 ipsi causa fuimus, sena centena aureorum  
 millia exaquantes, rependere debeamus,  
 id uerò nobis intolerabile atq; ad eò impossi-  
 bile factu est: dum cōsideretur, multo ma-  
 ximam incolarum partem bonis suis spo-  
 liatam & expulsam esse, domos exustas,  
 res mobiles uniuersas ademptas, frumentū  
 omne corruptum & ad nihilum redactū,  
 neq; habere præterea nos quicquam, nisi  
 quod stantes euntesq; cū afflictis calamito-  
 sis uxoribus liberisq; nostris, nobiscū circū-  
 ferimus. Ut munitiones & propugnacula  
 deiciantur destruanturq; assentimur. Ut  
 aut arces tres subministrantibus nobis &  
 adiuantibus condantur, ijsq; sustentiadis,  
 quantumcunq; agri, prati & pascuorum  
 necessarium fuerit, attribuamus, id undi-  
 quaque nobis grauisimum est. Nam  
 eum in usum quod satis sit, ex bonis no-  
 stris, agris, pratis & pascuis, si nobis  
 adima-

adimatur, nihil certè miseris perditisq̄ reliquum fuerit, exactiq̄ fundis & possessionibus nostris solum uertere cogemur. De mero mixtoq̄ imperio, dominio omni & iure, uenationib. & piscationibus, & quæ ijs cognata sunt, nihil refragamur, quin fiat, quod placitum fuerit. Arma quoq̄ uniuersa, & quæcunq̄ ad corporis defensionem nobis comparata sunt, si fieri aliter non poterit, submissis animis dedere non grauabimur. Caterùm ad id quod attinet, ut ex agris & pascuis nostris tantum quo rannis pendamus, quantum nunc ex iisdem ipsi accipimus, respondentes humiliter obsecramus: ne in seruitutē omnino redigamur, sed bonis nostris uti frui liceat, eorumq̄ potentes esse, perinde ut & Phrysi sunt, quæq̄ hi & Crempermarsi & Uilstermarsii libertate gaudent, eadem & nos potiamur: & ne operis faciendis & angarijs oneremur, sed ab earum præstatione im-

ne immunes simus, quemadmodum & illi. Diplomata, priuilegia & conuēta, quot cunq; nobis superant nec interciderunt, reddemus: & quæ reddita non fuerint, cassa & irrita per scripturam fieri curabimus. Iurisdictionem, iudicia & iura, per clementissimos illustrissimosq; principes constitui & exerceri, eorū arbitratui & humanissimæ uoluntati permittimus.

Quod si & illud obtineri queat, ut in Eiderstadio senatus collocetur, isq; ex iure gentis scripto lites dirimat, & ius dicat, salua & incolumi ad principes prouocatione, id nobis haud inconsultum uideatur. Societas & fœdus, quod unicum nobis cum ciuitate Lubecēsum est, irritum infectumq; erit, & posthac in perpetuū nemini nos fœdere iungemus: ea que omnia, quæ promittimus & iuramus, ut uiros bonos & honestos decet, sanctè & religiose seruabimus. Collationum præterea nomi-

ne, pensionum & tributorum, quicquid  
 Phrisii, Crempermarssi & Uilstermarssi,  
 soluant & erogant, in ijs omnibus præ-  
 standis nos quoq; obsequenter & officiose  
 nos geremus. Ut etiam supplices facti cul-  
 pam deprecemur, & quicquid insuper li-  
 terarum sigillorūq; à nobis flagitatur, in  
 singulis hisce haud grauatè obtempera-  
 bimus: & arma quoq; uniuersa atq; in-  
 strumenta bellica, quacunque penes nos  
 sunt, in unum collata exhibebimus. Obsi-  
 dibus tametsi ad eò opus non esse arbitra-  
 mur, tamen id quoque arbitrio & uolun-  
 tati clementissimæ principum relinqui-  
 mus. Post ea prope finem literarum  
 adiiciunt, non se dubitare, quin, ut uerè  
 Christianos & pios deceat principes, a-  
 cturi secum, à sanguinis effusione sibi  
 temperaturi, homines que se arumnosos  
 & ad extrema redactos, uxores liberos-  
 que suos cuiuscunque ætatis & sexus,  
 nullo

nullo amplius incommodo & detrimento affecturi sint. Confidere quoque, ad animum reuocaturos, tantam iacturam & dispendium eo bello acceptum, dum eius seculi mortales uixerint, in una sua patria extingui obliuione & sarciri non posse: eo etiam non adiecto, quod aliquot millia inopum miserarumque uiduarum, orphanorum & puerorum imbellium, in medio sint, qui nudi omniumque rerum egeni ostiatim cibum petere cogantur, neque unquam in pristinum redire statum possint. Postremo Deum orant, ut is principum corda flectat & inclinet, quò pax sancta, stabilis atque perpetua inearur, ad illustrem & gloriosam diuini nominis sui celebritatem, & afflictarum diuinum incolarumque salutem atque conseruationem. interpositis autem plussculis actionibus, cum demum per  
 prin-



principes regios' que uicarios nonnulla con-  
 ditiones, quæ ipsis grauiores duriores' que  
 uidebantur, aut essent mitigata nonnihil,  
 aut omnino, quo ad usum disceretur, quales  
 se post deditioñe præbituri gesturi' que es-  
 sent, sublata & abolita, deditio facta, eaq;  
 statim post literis utrinq; datis commu-  
 tatis' que stabilita est. Quibus literis Di-  
 thmarsis ad obsequium, cum ipsis principi-  
 bus, tum hæredibus & successoribus eorū,  
 in perpetuum præstandum, sese obstringe-  
 bant: principes uicissim ad illos fouendos  
 tuendosq; se obligabant. Exinde duodeci-  
 mo die calendas Iulias uniuersi Dithmar-  
 si, quotquot eorum ex bello, nullo ætatis hæ-  
 bito discrimine, superstites erant, (inter  
 quatuor millium uix excedebant) ad li-  
 mites oræ palustris ultra Heidam, horam  
 circiter decimam matutinam, conuene-  
 runt, & quicquid ipsis armamēti instru-  
 men-

menti<sup>q</sup> bellici, tormentorum apparatus<sup>q</sup>,  
 tormentarij, globorum pulueris que pyrj,  
 armorum & lancearum, reliquum fuit,  
 uictoribus dediderunt: que mox omnia  
 Meldorpam asportata sunt. Eodem quo-  
 que loco ducibus Iohāni & Adolpho, qui  
 corpore etiamnum male ex uulnere asse-  
 cto agrè equitabat, & quibus ea à rege per  
 absentiam cura & potestas data erat, ac  
 uniuersis belli consiliarijs, supplices facti  
 (quod in conditionibus erat) atq; conti-  
 macia & rebellionis ueniam deprecati  
 sunt. In trium præterea principum uerba,  
 nudati omnes capita & in genua prouo-  
 luti, promittentes iurantes que, eo usitato  
 obsequij & fidelitatis sacramento sese ipsis  
 obstrinxerūt, à quibus mox in fidem sunt  
 accepti. Erat autem solennis eius concio-  
 nis hic ordo: Principes & consiliarij me-  
 dium quasi centrum obtinebant, hos cir-  
 cum prostrati iacebant Dithmarsj, illos  
 q equis

equitatus & exercitus uniuersus circum-  
 dabat. Quæ hîc trepidatio suspensos metu  
 retaliationis agrestium animos tenuerit, ui-  
 dere omnino fuit. Nam quidam ex plebe  
 sacerdos ad alterum sui ordinis conuersus,  
 latino sermone, quem à nullo astantium  
 intellectum iri putabat, in hæc uerba pro-  
 rupit: O nos miseri, ad quam seruamur  
 lanienam: iam iam fœdere fracto in nos  
 impetû facient, & ueluti pecora ferient at-  
 que iugulabunt: totus profectò morte fu-  
 tura palleo atq; horresco: nam extrema  
 mox passurû me uideo. Eum sinistre de-  
 principû & procerû fide sentientē loquē-  
 tēq; Henricus Ranouius regius uicarius  
 his propè uerbis increpauit: Quid, inquit,  
 tu nos ex uobis iudicas? Vos quidem digni  
 essetis, in quos sæuiretur, at nobis indignû,  
 qui sæuiamus. Datam nec reuocamus fidē,  
 nec frangemus. Obsides quoq; uigintiqua-  
 tuor numero traditi, quib. ut Rendesbur-  
 gi se

gi se siflerent, imperatum. Ne uerò milites, in interiora terræ excurrētes, ea porrò, quæ seua belli procella & clades ipsis inta-  
 cta reliquerat, illata ui eriperēt, pleræq; ha-  
 ste & frameæ Dithmarsis sunt restituta,  
 quibus ad sui rerūq; suarum defensionem  
 uterentur. Insequenti die uniuersus exerci-  
 tus inde Meldorpam reductus est, cumq;  
 unam duntaxat legionē Schonuesianam  
 cum equitatu principes apud se manere ius-  
 berent, reliquæ tres diuersis itineribus in  
 Holsatiam dimissæ, & non multo post di-  
 lapsæ sunt. At inuiti omnino milites ter-  
 ra excedere, & disiungi se agris ingratisq;  
 animis pati, cum pingui & opulenta ora,  
 quæ inexplebili eorum rapacitati perquã  
 idonea uidebatur, diutius insenscere, &  
 armētis abactis mactatisq; pecoribus, præ-  
 dam quàm amplissimam facere & abdu-  
 cere, uehementer cuperēt. Parū enim ab-  
 fuit, nisi conatib. eorū maturo et expedito

consilio obuiam itum esset, quò minus ea  
 res in seditione militarem exarserit: cum  
 ob aditum praelij discrimen stipendium  
 menstruum debitum sibi (ut impudenter  
 iactitabant) prædæ que opimioris nomine  
 donatiuum tam tumultuose & contuma-  
 citer quàm improbè, principes flagitarent.  
 Quem motum inter milites serpentem pri-  
 mum, nisi fouere & alere maluissent, ex  
 præfectis nonnulli in ipso mox principio se-  
 dare & opprimere potuissent. Quoniam  
 autem turbulentis & rabiosis clamoribus  
 nihil impetrare poterant, cum nec quic-  
 quam ex cõuento illis amplius deberetur,  
 stipendio accepto demum acquiescere, po-  
 steaq; dilabi oportuit: eò quidem citius, &  
 animaduertent, principes indignantes  
 cum equitatu paulatim propius accedere.  
 Neq; sanè sine perspicaci & euidenti ratio-  
 ne ita diuisa & segregata sunt legiones, ut  
 per uias uniuersas in Holsatiam iter face-  
 rent,

rent, ne iunctis signis uiribus que, ubi uel-  
 lent, ad arma conclamare, & seditionem  
 miscere possent: id que etiam si facerent,  
 superati minore cum negotio ut compesce-  
 rentur. Tormenta quoq<sup>3</sup>, quæ ad copias pe-  
 destres erant, non sine astu ab ipsis abdu-  
 cta sunt, ea simulata causa, quod duces, ad  
 maiorem tutiorem que sui custodiam ad-  
 uersus agrestes, ea apud se esse cuperent.  
 Illa postea tormenta quæ hostibus fuerant  
 adempta, in tres æquales portiones distri-  
 buta sunt, & principum quisq<sup>3</sup> pro sese (ni-  
 si me fugit ratio) sena tricena est sortitus.  
 In uniuersum enim supra centum graui-  
 'leuiora' que tormenta erant, quæ rotis ple-  
 raq<sup>2</sup> omnia agebantur, ijs exceptis, quæ,  
 cum impellerentur, disrupta fuerant. Mi-  
 noris tamen ponderis plura sunt reperta,  
 colubrini & falcones, quia his ut habilioribus  
 agrestes in lutulenta & uliginosa  
 ora commodius uti, & administrare faci-

lius poterant. Et profecto id uerè adfirmare licet, Dithmarsos tormentis militari-  
 ter instructos, in collocandis ijs reducendis-  
 que, ipso hoste iudice, tantam cum agilitate summa peritiam adhibuisse, quãta uel  
 in maxime exercitatis re bellica desiderari queat. Nam id uel in pralio nouissimo  
 ad Heidam præclare cognitũ est, ubi cum  
 suo ubiq; cõmodo & bono de loco in locum  
 scienter admodum ea transtulerũt, quam  
 quam stragem non aequè magnam fecerunt.  
 Muralia quoq; tormenta tria red-  
 dita sunt, quæ olim Holsatia duces (ut in-  
 sculptis ex insignibus folij urticæ cognoscere erat) bello amiserant. Vexilli præ-  
 rea peruenisti, & à priscis usq; Dania  
 regibus antiquitate religiosa uenerabilis,  
 quod regi Iohanni olim superato ademptum caries situsq; penè absumpserant, fra-  
 gmentum restitutum est: quod nunc in æ-  
 de summa oppidi Slesuici in Holsatia sus-  
 pensum,

spensum, quasi uictoria huius argumen-  
tum conspicitur. Meldorpæ autem tunc  
primùm, cum illic haberent aliquantisper  
principes, diplomata literasq; uniuersas,  
quibus aut collata alicunde beneficia, aut  
eorundem confirmatio continebatur, tra-  
diderunt. De fœderibus quoque princi-  
pes docuerunt, quibus cum ea pepigissent:  
& aureum item eleganti sculptura pocu-  
lum, quod Friderici fuerat clarissimi Da-  
nia regis, reddiderunt. Porro legio Schon-  
uesiana, quã Urisbergius ductabat, in ui-  
co Dithmarsie Scapstadio, pace iam  
composita, octiduum sese continuit, dum  
reliquus peditatus omnino dilaberetur.

Eo effluxo in Holsatiam discessit, ubi  
reliqua stipendiorum, octonis in super die-  
bus donatiui nomine connumeratis, so-  
luta sunt, & præfecti omnes ductores-  
que ordinum & signiferi muneribus ho-  
norati. Quæ in cæteras quoque legiones



liberalitate usi sunt principes, sed erga illos  
 duntaxat, qui bene promeriti, & dignio-  
 res ea præ reliquis uiderentur. Sub idem  
 ferè tempus & equites ætatis gratijs dimis-  
 si, cum quidem supra debiti æris solutio-  
 nem, quod confluxissent dilaberenturq̃,  
 menstruum stipendium singuli accepis-  
 sent: quorum præfecti & ipsi muneribus  
 exculti & ornati sunt. Nec habent certè,  
 quod conquerantur milites, & in primis  
 tribuni præfecti que eorum, cum stipen-  
 dia, uti primo in delectu numerus capitũ  
 in rationes fuerat relatus, non iterata re-  
 censione, ipsis præbita & soluta sint. Bel-  
 lum itaq̃ hoc uix menstruum fuit, si eo  
 die, quo undecimo calendas Iunij in fini-  
 bus Dithmarsie castra primũ ab hosti-  
 bus posita sunt, eius initium factum, &  
 duodecimo deinde calendas Quintiles,  
 quò die superstites incolæ uniuersi suppli-  
 ces facti in deditiõnem uenerunt, conse-  
 ctum

Etū dixerimus. In quo quidē bello siue expeditione, neq<sup>3</sup> dum confluerent colligerentur que copia, neq<sup>2</sup> dum dimitterentur, ullis aut finitimis socijs, aut extraneis longius que remotis, graues fuerunt, damnum ue ullum dederunt. Soli rebelles & insolentes agrestes, laesaq<sup>2</sup> maiestatis rei, merito iam pridē supplicio affecti mulctatiq<sup>3</sup> sunt: ut tādē uero pioq<sup>2</sup> magistratui sese subycere, iustis & legitimis obedire dominis, legibusq<sup>3</sup> honestis & aequis frenari ac regi discerent: nec non, quod olim in egregie fortes praclarosq<sup>3</sup>, cum principes uiros, tum genere & uirtute inchyta nobiles, dira & immuni sauitia miserē eos trucidando laniandoq<sup>3</sup>, perpetrassent, per posteros cumulate ipsis redderetur. In sequentis autem anni ineunte uere, Ferdinādus Austriacus Imperator, cum principes, ut ditionem, & successione hereditaria ad se deuolutam, & armis sua pote-

statis factam, iure quoq; & consensu Imperiali demum obtinerent, per legatos id expeterent atq; postularent, ex Augusta imperij potestate conuentiones & placita, inter Dithmarsos uictoresq; inita, & literis utrinq; firmata, rata habuit & diplomata stabiliiuit.

Ita Dithmarsia bello domita in ius & ditionem eorum concessit, quorum maiores maximis cladibus non semel ante profligauerat, uti priore Libro commemorauimus. Nam per quingentos ferè & amplius annos tametsi uarijs interim iactata castibus fuerit, & saepiuscule etiam iugum, sed ad modicum saltem tempus, dum hostili metu & periculo sublato, recollectisq; uiribus, ex opportuno ad ingenium rediret, acceperit: tamen agrestem libertatem suam, reiecto & excusso semper ceruicibus dominatu, incredibili animorum pertinacia asseruit, eamq; oppugnantes fortuna

una beneficio uictrix barbarica feritate  
 fudit atque trucidauit. Fuit illa quidem  
 olim ( ut pleraq; alia uicina regiones &  
 prouincia ) Saxonum imperio subiecta,  
 & deinceps quoque peculiare sibi sub  
 Marchionum & Comitum nomine do-  
 minos habuit, sed eorum complures armis  
 crudeliter oppressos interemit. Exinde in  
 præsulatus Bremensis ditione & territo-  
 rio esse uoluit, cum permutationis iure ad  
 eum pertinere uideretur, uerum antistitis  
 imperium, licet aliquando etiam uis iusta  
 intentata sit ( quæ quidem nunc strictim  
 repetentes fusius omnia supra sumus exe-  
 cuti ) titulo tenus saltem pertulit, eoq; ipso  
 quasi regimento abusa est, ad repudian-  
 dum quemlibet alium magistratum, &  
 corroborandam sceleratae immunitatis li-  
 centiam. Intercesserunt igitur plurima  
 cum Holsatis lites & controuersia, dum  
 illi ius suum, nunc dictis conditionibus,  
 nunc

nunc armis repetunt, & aliquot subinde  
 praelijs certatum est. Quorum tria impri-  
 mis cruenta admodum & atrocia comis-  
 sa sunt, in quibus Dithmarsii insigni falla-  
 cis & impotentis fortuna ludibrio victo-  
 res, & luctuosam hostium stragem inex-  
 plebili saevitia ediderunt, & fastidiosam  
 libertatem suam pertinacissima animo-  
 rum constantia tutati sunt. At ubi felici-  
 tate perpetua inflati, & opimis feracis ter-  
 ra muneribus luxuriantes, insolescere ni-  
 mium & ferocire cœperunt, ultricem di-  
 vini numinis iram in se prouocarunt, &  
 diuturna peruicacia & improbitatis di-  
 gnas tãdem pœnas luerint. Neq; equidem  
 in alia sum opinione, quàm ut certissimè  
 credam, tantam calamitatē et miseriam,  
 severo & iusto Dei indignantis iudicio, di-  
 uinitus hanc gentem oppressisse. Etenim  
 tacebo illa, quæ de agresti & intemperan-  
 ti luxu fastidio que, quæ de summa ini-  
 quitate

quitate & iniusticia, quæ de cadibus  
 & maleficijs innumeris perpetratis, eo-  
 rumque impunitate, vulgi sermonibus  
 predicantur, ne quod rumoribus tribue-  
 re uidear. Fuit præterea tam arrogans  
 simul & impudens eius populi persua-  
 sio, quoniam tot annorum spacio effre-  
 natam libertatem suam egregiè propu-  
 gnando obtinuisset, omne seruitutis uel  
 nomen à se repulisset quàm longissimè,  
 tot fortissimos exercitus fudisset, & ad  
 internecionem penè quosdam deleuisset,  
 ut omnino inuictum esse se crederet, ter-  
 ramque suam, tam insigniter & ab i-  
 psa natura & operibus munitam, nul-  
 lis uiribus aut artibus subigi posse con-  
 sideret. Itaque omni deposito timore se-  
 cure agens, uberis que terra bonis immo-  
 dicè lasciuiens, magistratum omnem de-  
 spiciebat & aspernabatur, atque legibus  
 nullis, moribus aut institutis, quibus  
 reliquæ

reliquæ gentes continentur, ad ea præ-  
 standâ se cogi posse iudicabat, quæ in-  
 grata & commodis suis contraria essent.  
 Atque hanc fiduciam animis non cau-  
 sâ equitas iusticiâ ue addebat, sed solâ  
 prodigiis et inuictâ (uti credebant mi-  
 seri) vires excitabant. Nam ut ad-  
 uersus pristinam & obstinatam contu-  
 maciam suam aliquid admitterent, nul-  
 la pietas, nullus numinis cœlestis me-  
 tus aut reuerentia, nulla iuris recti-  
 que obseruantia persuadere poterat.  
 Quin & eò dementia progressi Dith-  
 marsi, ut principum maiestatem ma-  
 litiose ledere non reformidarent, indi-  
 gnis & contumeliosis conuicijs honorem  
 & nomen eorum inuerecundè laceran-  
 do proscindendo que. Hoc ad cæteras in-  
 iurias addiderunt, quasi non satis admi-  
 sissent scelerum, si ditionū incolas & ha-  
 bitatores varijs multis que per iniuriam  
 damnis

damnis afflixissent: seu ius in terra sua  
 ipsis denegando, seu incursionibus factis  
 depraedando, seu alijs quibuscunque uio-  
 lentis fraudulentis que modis circumue-  
 niendo: nisi in ipsos quoque principes  
 uirulentam immodesta & petulantis  
 lingua proteruiam effunderent. Quam  
 ego uel cum primis indignationis diui-  
 nae causam fuisse iudico, ut tantas cla-  
 des & aerumnas cum summa ignomi-  
 nia hoc bello perpeterentur. Deus es  
 nim equissimus iustissimus que, ut u-  
 niuersi huius politici ordinis autor atque  
 princeps unicus est, & magistratum  
 omnem in terris uicarium pro se mu-  
 nus gerere praecepit: ita quoque illos,  
 qui eo in munere recte iuste que uer-  
 santur, fouendos tuendos que semper  
 suscipit: contumaces uero, & qui im-  
 probe iniurijs contumelys ue onerant,  
 poenis grauissimis pleclit. Quapropter  
 iram



256 BEL. DITH. LIB. II.  
*iram ac iudicium diuinum pertimescere, & magistratum legitimum habere ac colere reuerenter, omnes debent populi, qui tranquillo & florenti in terris statu agere exoptant.*

F I N I S.

AD

## AD LECTOREM.

**Q**uoniam in hac descriptione historica,  
 benigne Lector, plurima & frequens  
 est mentio clariss. nobilissimiq̄ue ui-  
 ri, Iohannis Ranzouij, equitis Holsati & bel-  
 latoris præstantissimi, cuius potissimum  
 ductu & auspicijs per regem & principes id  
 bellum feliciter confectum est: ne quid for-  
 tè rerum gestarum ab eodem te lateat, non  
 ab re facturos nos esse censuimus, si bina e-  
 logia sub eius effigie, ipso etiamnum ui-  
 uente, collocata & diuersis in locis in lu-  
 cem typis edita, corollarij loco huic histo-  
 riæ nostræ adiungeremus. Quibus & epi-  
 taphia diuersa adiecimus, eandem ferè rem  
 sed modo dissimili explicantia, & præterea  
 honorificè sepulturæ & iustorum eidem fas-  
 torum succinctam recitationem, quæ nus-  
 quam hætenus publicata appa-  
 ruit. Hæctū boni consu-  
 le. Vale.

SVB EFFIGIE PRAE-  
 STANTISSIMI HEROIS IO-  
 hannis Rantzouij, equi-  
 tis aurati. V. C.

**D**EVs trinus & unus te longè  
 sospitet, & in hoc uiuida sene-  
 ctâ robore diu fœliciter conser-  
 uet, fortunate senex, qui ex e-  
 questri & nobili Rantzouiorum familia  
 ( quæ fuit inter Cymbros siue Holsatos, te-  
 stantibus id annalibus uestris, ante tre-  
 centos annos uirtute bellica clara ) es or-  
 tus, domesticaq; educatione ac disciplina,  
 uulnerum & periculorum contēptor fa-  
 ctus, cūm tredecim annos natus, mortuo  
 patre, clam arrepto domi equo, inuita ma-  
 tre & tuis, ad proxima castra euolasses,  
 miram indulentem ad militiam attulisti: des-  
 mum uir effectus, durissimis belli labori-  
 bus te totum dicasti, susceptaq; nobili pe-  
 regrina-

regrinatione, totum penè orbem terrarum circumuagatus es, non tam religionis causa, ut multi opinabantur, quam ut multarum gentium mores, tractandi que belli rationes acutissime perspiceres, & posteros Cymbrorum, Gothorum, Vandalorum que tuorum maiorum inuiseres.

Adita primò Anglia, deinde Hispania (ubi diuum Iacobum more tunc inueterato salutasti) postea Germania, Italia, Creta, Asia ac Syria maxima ex parte peragrata, ad Hierosolymã urbem peruenisti, ibiq; cum alijs religiosè sacrificans, dignitatem aurati equitis suscepisti: quam succedente tēpore editis egregijs factis condecorasti atque ornasti. Hæc tua illustris peregrinatio in illa deflenda tempora incidit, cum Selimus Turcarum Imperator, mortuo Campsone & interfecto Tomombeio, Sultanico imperio cruentis uictorijs finem attulit: unde, nisi magna nu-

minis prouidentia ad maiora esses reser-  
 uatus, nauis uix elapsus, à Turcis captus  
 fuisses, te tuosq; socios tanquam Mamme-  
 luchos persequentibus. Nauis illa Neapo-  
 lim peruenisti, inde que per illud regnum  
 Romam profectus, Leoni decimo Pontifi-  
 ci maximo, more Italico, sed non sine fastu  
 Cymbrico, pedes deosculatus es. Inde per I-  
 talias, Gallias & Germanias, noxia  
 multiplici in peregrinatione auctus, do-  
 mum redisti, & ilico, propter summam  
 ingenij tui dexteritatem & agendi periz-  
 tiam, Fridericus tunc tantum Princeps  
 Holsatiae, te filij sui Christiani morum in-  
 spectorem, ac omnium rerum eius guber-  
 natorem constituit, missurus filium ad Se-  
 ptemuirum Electorem Brandenburgens-  
 sem, ut una cum ipso Vuormatiam uer-  
 sus iret, quo Caesar Carolus V. tunc pri-  
 mium Principes Germaniae, ornatus Casar-  
 rea potestate, conuocarat. Quo in loco Lu-  
 therus

therus sua dogmata, summa cum constan-  
 tia, presentibus cunctis ordinibus Imperij,  
 protulit & scripto exhibuit: quæ tu mode-  
 ste arripiens, superuacuos aliquos ritus cõ-  
 temnere didicisti. Finito illo conuentu, u-  
 nà cum Principe tuo ad patrios lares re-  
 uersus, Magister palatij creatus es: et cum  
 deinceps Christiernus 11. Danorum Rex,  
 immanissima crudelitate in proceres Go-  
 thos, Danos & Suedos sæuiret, illiq; publi-  
 blicè conspirarent, consentiente & permit-  
 tente Deo, certissimo semper ultore scele-  
 rum, & Fridericum patrum Christierni  
 ad suscipiendum diadema regium ad-  
 hortaretur, tu principi tuo Friderico sua-  
 sor & autor extitisti, ut oblatam prouin-  
 ciam susciperet, ne alioqui tota sua familia  
 illustri illa regia sede deturbaretur. Nam  
 Suedi, cum Fridericus longius rem cun-  
 ctando protraheret, quendam ex nobilita-  
 te equestri sibi Regem delegerant, quod &

de Danis erat timendum. Quare ipsius  
 auspicijs exercitum in Daniam traduxi-  
 sti, nonnullisq; locis ibi prius expugnatis,  
 Hafniam regalem urbem, plus quàm  
 per integrum annum obsidione pressisti,  
 illa. fame domita, cum ab esu felium ac  
 canum non abstinere, in tui principis  
 gratiam suscepisti. Quibus rebus peractis,  
 cum quatuor cohortibus ac trecentis equi-  
 tibus in Scandiam nauigasti, & commis-  
 sa ancipiti pugna cum Seuerino de Nor-  
 bu, uiro strenuo & rei militaris perito,  
 secum habente quindecim millia agrestiu,  
 tandem eum superasti. Nam aut uin-  
 cendum, aut moriendum tibi erat: nullus  
 locus fugæ patebat. Circumdatus enim e-  
 ras mari & hostili exercitu. Sic uirtus  
 uiam inuenit. Ac nisi summa festinatio-  
 ne usus fuisses, subsidio hostibus Otto Stiz-  
 gesen, cum alia non contemnenda manu  
 collecta ex plebe, uenisset: quem paulo post  
 eadem die deuicisti. Sic bis uictor uno die

factus, binisq; castris hostium potitus, Ducibusq; ambobus captis, securè castra esmetatus. Seuerinum paulo post, non solum confessi facinoris ueniam, sed etiam amplam praefecturam à Friderico adeptum, pristina libertati restituiti, ut omnes inde perspicerent, te non solum in bello inuictum, sed & in inimicos tuos in pace beneficum esse: quae tamen ipse tua ingentia merita, magna cum sui nominis pristini & gloriosi infamia, nouo scelere priori addito, dedecorauit. Contra enim datam fidem, clam ad Casarem Carolum, Regis sui Christierni II. uxoris fratrem au fugit, eiusq; partes secutus, in obsidione Florentina (cupiens sui animi magnitudinis apud exteras nationes exēpla edere) fortiter pugnans interemptus est, & sic perpetrati facinoris & uiolatae fidei iusta praemia recepit. Iam regno aliquo modo pacato, Christiernoque in Noruegia ab alijs proceribus



conditionibus circumuento, ipsoq<sup>ue</sup> in per-  
 petuum carcerem condemnato, Frideri-  
 cus in eius locum procerum suffragijs rex  
 declaratus est, qui regno ad annos decem  
 summa cum moderatione præfuit. Quo  
 tãdem è rebus humanis ad diuinã patriã  
 sublato, relictis tribus filijs impuberibus,  
 & tertio Christiano uirilem atatem in-  
 gresso, Lubecensis Reipub. turbatores non-  
 nulli, factò prius fœdere cum Duce Alber-  
 to Megapolensi, & Comite Christophoro  
 Oldenburgensi, & Danicis quibusdam  
 Proceribus nouis rebus studentibus, patrie  
 tuæ bellum acerrimum intulerunt: quod  
 prius geri quàm parari animaduersum  
 est, anno proximo post Friderici mortem,  
 uestratibus in constituenda repub. tempo-  
 re interregni, & deliberationibus de nouo  
 rege faciẽdo, occupatis. Sperabãt enim Lu-  
 becensium isti factiosi, sese ciuitatẽ suam,  
 tribus regnis Septentrionalibus potitam,  
 Vene-

Venetijs æqualem reddere posse. Tunc tu  
 iterum, Reuerende Senex, nactus iustam  
 defendendæ patriæ causam, & ab extre-  
 ma seruitute uindicandæ, in medium ar-  
 matus ex tuo castro, quanquam uno pede  
 æger per integrũ annum fueras, claudi-  
 cans pro silis, omnesq; priuatos dolores com-  
 muni patriæ saluti postponis: nec defuit  
 fortuna audenti salutaria. Illic enim non  
 sine admiratione omnium, qui id diuini-  
 tus contigisse religiosè affirmabant, pristi-  
 no pedum robori ac agilitati restitutus es.  
 Collecta deinde parua manu cum Chri-  
 stiano, Lubecenses, non procul ab oppido  
 Oetino, desideratis multis aufugere, Sege-  
 bergensem obsidionem relinquere, ac de  
 sua propria ciuitate defendenda sollicitos  
 esse, coegisti: ac post hæc Trauemundam  
 uicisti, naues subsidio missas expugna-  
 sti, ipsam que urbem Lubecam obsidione  
 cinxisti, breuiq; tempore ex tuis per te col-

locatis castris tantum effectum, ut pacis  
 conditiones uobis etiam non in utiles susce-  
 perint. Tu enim eo tempore cum Erico E-  
 ricksen, aliàs Banner, & nonnullis equi-  
 tum alis ac militum cohortibus, in Gothiã  
 siue Iulandiam missus eras, ut agrestium  
 multitudinem, maxima ex parte rebellan-  
 tem, aut bona cum gratia ad pristinũ offi-  
 cium & saniora consilia reduceres, aut ar-  
 mis opprimeres, & meritas ab illis pœnas  
 sumeres. Cui iniuncto officio satisfacere cu-  
 piens, oppidum Alborch, in quo rustica  
 plebs, Duce Clemente nauclero, congrega-  
 ta erat, fortiter illis defendentibus, cum  
 tuis feliciter expugnasti, semelq; non sine  
 tuorum dolore, cum primus uallum con-  
 scendisses, à summo ad imum deiectus es:  
 ibiq; multiplici cade exempli causa facta,  
 captum uiuum Clementem quasi Regem  
 plumbea corona dedecorasti, & sic palo  
 configendum curasti, meritasq; perfidia  
 pœnas

poenas ab illo exegisti. Inde in *Vuēt Zhusel*,  
 tribus diuersis itineribus, cū copijs tuis con-  
 tendisti, ibiq<sub>2</sub> uacillantes in fide cōtinuisti,  
 principib. factionis sublatis, reliquos ad offe-  
 ciū reduxisti, nouoq<sub>2</sub> iuramēto obstrinxisti.

Hinc in *Fioniam* cum traiecisses, plebē  
 etiam ibi maiore numero congregatam  
 tuis copijs adortus, in fugam coniecisti,  
 ac paulo post non procul ab *Assensen*, in  
 aperto campo seorsim ante primos ordines  
 cum uno equite, te imprimis petente, con-  
 curristi, illum que mortifero uulnere affe-  
 ctum, de equo non sine præsagio futuri e-  
 uentus deiecisti, signo' que ceteris dato, ex-  
 ercitus comitis de *Oldenborch* iusta acie  
 ac praelio superasti, interfectisq<sub>2</sub> in illo prae-  
 lio Comitibus de *Hore* & *Techelnborch*,  
 castris hostium & urbe potitus es. Unde  
 in *Selandiam* profectus, ibiq<sub>2</sub> plerisq<sub>2</sub> locis  
 ui subactis, iterum, ut ante decennium,  
 per *XIIII.* menses *Hassniam* obsedisti,  
 de-

defendentibus fortiter urbem, & tuis uiri-  
 libus conatibus egregiè resistantibus Duce  
 & Comite, expectantibusq<sub>3</sub> à Casarianis  
 auxilium, sperantibusq<sub>3</sub> eos occasione non  
 defuturos. Quæ opinio illos haud fefellisset,  
 si tum ex tuo singulari consilio & solerti  
 prudentia, certa equitum peditumq<sub>3</sub> ma-  
 nens, in terram Groningensem Casari pa-  
 rentem, non fuisset missa, quæ uicū Dam-  
 uallo fossaq<sub>3</sub> muniret atq<sub>2</sub> teneret. Quæ re  
 effectum est, ut Casarianos magis de oppi-  
 dulo Dam recipiendo, quàm de obsessis o-  
 pem ferendo, alienaq<sub>3</sub> ora infestanda, cogi-  
 tare oportuerit: præsertim Carolo tunc I-  
 talicis rebus implicato, deq<sub>3</sub> Regno Neapo-  
 litano, ac Ducatu Mediolanensi defen-  
 dendo, sollicito. Quare obsessi in urbe Hass-  
 nia, consumptis omnibus alimentis, qui-  
 bus homines uesci poterant, extrema ino-  
 pia premebantur, ac desperatis tãdem au-  
 xilijs, cum illis nihil aliud reliquum esset,  
 quàm

quàm ex fame lurida mors, ad pedes Christi-  
 stiani III. Ducem & Comitem se proyce-  
 re, & culpam agnoscere, delictiq; ueniam  
 petere coegisti. Quibus rebus confectis, Chri-  
 stianus more Gothorum Regio diadema  
 te ornatus, ac patri suffectus est. Fuerunt  
 sequentes anni utcunq; tranquilli, sed ta-  
 men semper timendus erat Carolus V. se-  
 mel irritatus, propter affinis sui captiuita-  
 tem. Contigit tamē deinceps, ut bellum ex-  
 arserit inter Casarem & Iuliacensem de  
 Ducatu Geldria, Gallusq; Rex Iuliacen-  
 sem, sub spe matrimonij sororis suæ filia,  
 Reginae Nauarrae, in partes suas traduxe-  
 rat, quibus si se adiunxisset Christianus,  
 ex usu regni fore existimabat. Ideo te, ad  
 percutiendum fœdus cum istis duobus, Iu-  
 liacum uersus misit. Sed tu, Regem Gallia  
 omnes suos conatus eò intēdere, facile per-  
 spexisti, ut Casarem implicitum aliquibus  
 negotijs redderet, ipsumq; longē à finibus  
 suis

suis amoueret. Ducis uerò res eo loco esse  
 intellexisti, ut per atate ipse parum aut ni-  
 hil de bello cogitaret: illi uerò, quibus bel-  
 lum demandatum erat, segniter rem ad-  
 ministrarent. Quare tu summa prudens  
 tia fœdere illo infauisto regem tuum impli-  
 care noluisti, cum ex longo rerum usu ac  
 noticia didicisses, magnos Reges, propter  
 priuata cōmoda, publica sancire fœdera,  
 ac raro sancta inuiolataq; præstare. Id  
 tamen, fauens partibus Regis Gallie, pro-  
 misisti, te legionem ueteranorum militū,  
 & quingentos equites nigros, ipsius sum-  
 ptibus in Brabantiam, ad Martinum de  
 Rosheim missurum esse, & apud Regem  
 tuum tātum effecturum, ut classem suam  
 ad depopulandam & infestandam oram  
 maritimā inferioris Germanie mitteret,  
 & sic unā cum alijs Imperatoris opes di-  
 straheret siue distineret: quod utrumque  
 summa fide præstitisti. Quantā enim ua-  
 stitatem

flitatem Martinus, adiunctis sibi tuis co-  
 pijs, Brabantia attulerit, ruina testantur,  
 & Antuerpia ferè capta perenne testi-  
 monium præbebit. Naues uerò, uenio con-  
 trario orto, per totam æstatem optatum  
 cursum tenere non potuerunt, sed tamen  
 homines maritimos, ne alijs opẽ ferre pos-  
 sent, suspensos tenuere. Succedente autem  
 tempore, aliquoties cum Casarianis non  
 uno in loco, ut cum Maximiliano Bure-  
 no & alijs, de facienda pace egisti: qua col-  
 loquia & actiones tam diu irrita fuerunt,  
 donec Spiram uersus profectus, ubi cū tua  
 legationis socijs solerti opera effecisti, ut  
 Christianus honestis amicitia legibus Cæs-  
 sari Carolo v. iunctus sit, catenaq; aurea  
 grandis ualoris, sicut & collega tui, à Cæ-  
 sare discedens donatus es. Qua pace facta  
 domum reuersus, Principes tuos occupatos  
 esse in diuidendis principatibus auitis atq;  
 patris cernens, quod tibi maxime ex

gra-



grauissimis causis displicebat ( diminui enim hac ratione potentiam coniunctam uidebas, ac facile oriri posse inter principes simultates timebas, quæ ipsi & patriæ extremam allaturæ essent perniciem ) te omni magistratu & præfecturis, quibus eras insignitus, uolens abdicasti, et cum tuis in posterum honorificè uiuere decreuisti, retentis solummodo illis, quæ erant usq; ad mortem tibi literis scriptis confirmatæ & merito datæ. Ille recessus Christiani pristinam erga te beneuolentiam planè euerit, ac tali suspicione animum eius pupugit, quasi alijs ex causis te ab eius negotijs subduceres, adiuuantibus clandestinis plurimum inimicis ( nam uirtutem inuidia sequitur ) & nitentib. præsertim eò, ut fictis & futilibus rationib. uiam inueniret, quæ alioqui præclarū regem, erga te ingratum efficerent, & ut is ingētis tui beneficij merita insigni aliqua iniuria persolueret.

Nam

Nam qui apertus tibi inimicus esset, regem alienato, nemo inuentus est. Sed hoc tibi cum clarissimis Ducibus commune fuit: hi plerumq; in ultimo uitæ actu inuidia circumueniuntur, ut Hannibali, Scipioni, Bellisario, Narseti contigit, & tua etate Consaluo magno accidit: qui nō tantum circumuenti, sed etiam diminuti dignitate, in ipso iniuste illata contumeliæ dolore mortui sunt: tu tamen ipsis omnibus longè beator ac felicior fuisti. Rex enim tractu temporis ( qui re & nomine uerè Christianus erat ) intimis animi sensibus tua præstita officia perpendens, teq; falso ab inimicis clandestinis ( qui aperte aggredi innocentiam tuam non poterant ) delatum intelligens, prius à te data suo filio fide ac manu, te necessitatibus ingruentibus, illi non defuturum, additis his expressis uerbis: si filius ea, quæ essent tibi ab auo suo ipsoq; propter summa merita usq; ad

s      mortem

mortem collata, non reuocaret, sed rata  
 haberet ( non tantum sic te, sed etiam fi-  
 lium regis tibi obstringens ) tibi est recon-  
 ciliatus, summoq; te in honore, ut antea,  
 ad supremos usq; cineres habuit & coluit.  
 Filius regis quoq; factæ promissioni condi-  
 tionē adiunctam probe intelligens, regia  
 planè indole summam erga te beneuolen-  
 tiam ostendit, & sese tibi non solum iusta  
 laborum præmia parta conseruaturum,  
 sed si uelles etiam cumulaturum pollice-  
 batur: cui tum respondisti, nihil te amplius  
 optare quàm suam gratiam: tui officij  
 nunc esse, ueteribus meritis auo ac patri  
 præstitis iam ferè obsoletis, nouis illa auge-  
 re & splendidiora efficere. Elapsis postea  
 paucis annis, Rex Christianus longo mor-  
 bo paulatim consumptus, & ex his ærum-  
 nis ac laboribus ( ut illi per somnium indi-  
 catum erat ) ad semper mansuram patriam  
 et requiem per mortē translatus est. Conti-  
 nuo

nuò regni habenas, Fr:dericus II. Christia-  
 ni III. filius, à patre designatus, suscepit.  
 Contigit autem, ut eodem tempore Dux  
 Adolphus ex cupiditate honesta uindi-  
 cta, clanculum contra Dithmarsos exer-  
 citum conscriberet. Illorum enim terra sæ-  
 pius uestrorum Ducum ac nobilium &  
 popularium sanguine tincta est, cum ue-  
 strates redintegratis uiribus clades fatales  
 à maioribus suis, sed non sine forti ac uirili  
 repugnantia, in Dithmarsia acceptas, no-  
 uis partis uictoris resarcire studerent, ac  
 iustam sumere de crudelibus barbaris uin-  
 dictam properarent: adeò ut contentis o-  
 mnibus belli disciplinis, soli confisi causæ et  
 iustæ uindictæ, se ipsi in palustres uoragi-  
 nes demiserint, ubi iniquitate loci circum-  
 uenti, & magna cum patria calamitate  
 oppressi, ingens sui desiderium luctumq;  
 suis reliquerunt. Adolphus igitur, cum  
 Dithmarsos priuatis uirib. aggredi festina-  
 ret,

ret, ut hinc maiorem nominis sui clarita-  
 tem compararet, & fines suos dilataret,  
 persuasus seu opinans, Fridericum consan-  
 guineum, mærore ex morte patris, ac re-  
 bus regni constituendis occupatum, facile  
 hoc sibi præsertim armato concessurum.  
 Id tu statim exacta prudentia senex olfa-  
 ciens, adhibito Andrea de Barby, Episco-  
 po Lubecensi, & filio tuo Henrico ( tunc  
 temporis Friderici in Ducatibus uicario )  
 ne similtas ac sinistra suspicio inter con-  
 sanguineos oriretur, in istum statum rem-  
 perduxisti, ut ab omnibus tribus Princi-  
 pibus, publico decreto sumptu' que, bel-  
 lum contra sempiternos & auitos ho-  
 stes gerendum, & sic maiorum osibus  
 inseputis parentandum esse, conclusum  
 sit. Prius rebus necessarijs, quantum in  
 tanta festinatione fieri potuit, ad id com-  
 paratis, Fridericus & Principes die cons-  
 tituta cū suis, nempe quatuor legionibus  
 pedi-

peditum, & tribus millibus equitum, in  
 unum locum conuenerunt, ac te unum in-  
 uicta uirtutis belli istius ducem delegerunt,  
 sperantes fortunam, ut scæminam, à te fa-  
 ctis generosis olim subactam, semper usq;  
 ad exitum uitæ morigeram fore. Quem  
 honore primò repudiatis, iam ferè septua-  
 genarius, et ætatis excusationem adducēs,  
 tandem uictus illorum precibus ac postu-  
 lationibus, suscepisti. Ac quando cum  
 principib. hostiles fines ingressus fuisti, sem-  
 per eò animum intendisti, ut principum  
 iuueniles ac generosos insitos animis cona-  
 tus (qui cupiebant aspera audacter aggre-  
 di, & pugnam impigrè ciere) senili cun-  
 ctatione reprimeres, & quàm celerrimè  
 posses, hostium in magnam longitudinem  
 productas triplices fossas ac munimenta  
 cum legionibus, captata prius temporis &  
 loci opportunitate, transcenderes, memora-  
 bileq; detrimentum, ubi barbari sese secu-

ros esse crederent, illis inferres. Primò oppi-  
 dum Meldorp, diuiso exercitu, tribus locis  
 uno tempore adortus, non sine uulneribus  
 tuorum expugnasti, interfectisq<sub>3</sub> multis ho-  
 stibus, ceteris suis fugatisq<sub>3</sub>, ibi castra, tan-  
 quam in medio Dithmarsiae secundum  
 longitudinē, inter Suderstrādt & Nord-  
 strant, quibus duobus locis flos et robur mi-  
 litiae Dithmarsicae habitare solet, posuisti:  
 atq<sub>3</sub> sic eorum copias, ne coniungi possent,  
 diremisti ac separasti. Inde in Suderstrādt  
 cum parte copiarum profectus es, reliquis  
 copijs in castris & apud principes manen-  
 tibus, eo consilio, ut si fortē reliqui Dith-  
 marsi periclitantibus Suderstrandien-  
 sibus opē ferre uellent, illis obici possent: quo  
 in loco maxima strage edita, reliquā mul-  
 tudinem, exercitu circumdato, sine ulla  
 conditione sese dedere coegisti: quorum  
 pars Holsaticis carceribus usq<sub>3</sub> ad belli exi-  
 tum damnata, pars Albim deportata a  
 lienis

liensis oris imposita est. Tertio Heydā, quæ  
 Dichmarsorum nobile Emporium fuit,  
 cum principibus circa uesperā castra mo-  
 uens, per noctē contendisti. Inde nō procul  
 rustici, adductis tormentis infestisq; uoli-  
 tantibus signis, cum equitibus uestris ex  
 longa nocturna ac diurna profectio, ne las-  
 sis & defessis, cunctantibus nonnihil tuis  
 militibus, & diutius, quàm par erat, in iti-  
 nere hæretibus, audacter arma cōtulerūt.  
 Ibiq; tui oēs principes, primis in ordinibus  
 hostes aggressi, singuli specimen uirtutis e-  
 diderunt, & maioribus suis fuso sanguine  
 hostium litarunt. Dux Adolphus fortiter  
 pugnans grauitèr uulneratus est. Ab  
 hostibus ter præliū redintegratū, eo euen-  
 tu, ut maxima pars illorū uitā, reliqui su-  
 perstites diu defensam barbaricā liberta-  
 tē ac terrā ipsam amiserint, uerosq; eo die  
 tuos principes Dichmarsie Duces effecisti.  
 Quo bello conficiendo, nō solum acutissimi



Ducis nomen, qui nihil absq<sup>ue</sup> summo con-  
 silio susciperet, sed etiam humanissimi ti-  
 bi comparasti. Si enim acerbè vindictam  
 exercuisses, fraternus amor te excusare  
 potuisset: Unum enim fratrem tibi Di-  
 thmarsii ante 59. annos fortiter pugnantē  
 interfecerunt. Tu autem contra multorū  
 sententiam quingentos Dithmarsos alio-  
 qui trucidandos, Friderico Rege in tuam  
 sententiam traducto, incolumes conserua-  
 sti, te palàm humanum ducem belli esse  
 glorians, non carnificem. Orta deinde se-  
 ditione inter Legiones, qui inhiantes ru-  
 sticorum bonis discedere è finibus nolebāt  
 (cùm tamen, excepta Schonuesii Legione,  
 non multum uera uirtute dignum edidif-  
 sent) tu Dithmarsis nonnullis restitutis  
 armis, Legionibusq<sup>ue</sup> diuersa in loca able-  
 gatis, tormentisq<sup>ue</sup> abductis & adiunctis e-  
 quitibus, ui & metu ad imperium redire,  
 & ex prouincijs uestris sine maleficio di-  
 scedere

scedere coegisti. Hoc ultimo uirtutis tuæ spe  
 cimine edito, actū concludere, uolubilemque  
 fortunam non ulterius periclitari, sapien-  
 ter decreuisti. Quare te iam fortunatum  
 senem appellare non uereor, cum in tem-  
 pore manum de tabula tollere didiceris, or-  
 natusque iam sis omnibus muneribus, qui-  
 bus ullus unquam inter Cymbros tui ordi-  
 nis ac loci cohonestatus fuit, ac tribus Re-  
 gibus, Friderico I. Christiano III. & Fri-  
 derico II. uictrici manu singularique pru-  
 dentia, cum cæteris proceribus, diadema  
 regium imposueris, receperisque profusi san-  
 guinis & laborum tuorum iustam mer-  
 cedem, eaque nunc latus, cum duobus filiis  
 ad similes honores ex parte prouectis, &  
 magna nepotum summae spei caterua, la-  
 tus fruere, exstructis ædificijs multis regio  
 luxu: ex quibus unum Bredenberg cum  
 munitissimis, aliud Bothkamp cum or-  
 natissimis in tota Cymbria arcibus cōferri  
 s s queat.

queat. Hoc tibi nunc supremi laboris  
 superest, ut, cum tua anima ex hoc erga  
 stulo liberata erit, Corpus tuum religiosis  
 in monumentis maiorum, ad spem beatae  
 resurrectionis, paulisper cum pompa fune-  
 bri tuorum nepotum brachijs deponendum  
 cures. Postremo opto, ut solita utens erga  
 Deos pietate, te diu incolumē Regi ac Prin-  
 cipibus tuis, patria, filijs & nepotibus, Deo  
 opitulante conserues.

ALIVD ELOGIVM SVB EF-  
 figie eiusdem.

**D**Eus trinus & unus te longē sospitet,  
 & in hoc uuida senectæ robore diu  
 æliciter conseruet, fortunate senex, quem  
 ex equestri & peruetusta nobilitatis, a-  
 pud Holsatos Saxones, Ranzouiorum fa-  
 milia natum, syderum inclinatione Ge-  
 nius diuum in gratia, per bellicas uirtutes,  
 ad iustam fortunarum atq; gloriae socie-  
 tatem

ratem extulerunt. Quò iam tum conten-  
 dere es uisus, quando proximus pubertati  
 à patris morte, arrepto domi equo, ad ui-  
 cina castra euolasti. A quibus proue-  
 ctiore etate in Angliam, Hispanias, Ita-  
 liam, Cretam, Asiam Syriamq<sup>2</sup> progres-  
 sus, & apud Hierosolymas militari bal-  
 theo honestatus, ex tam longa & pericu-  
 lis uarijs obnoxia peregrinatione, non mo-  
 do id honoris insigne, sed animum pluri-  
 ma uariarum rerum, imprimisq<sup>2</sup> exqui-  
 sitioris disciplinae militaris cognitione in-  
 structum, ad patriae optimorumq<sup>2</sup> Princi-  
 pum tuorū, Holsatiae Ducū, cultum retu-  
 listi. Eam cum infracto animi corporisq<sup>2</sup>  
 robore, temporibus ita postulantibus, in  
 campum produxisses, re ipsa comprobasti,  
 non pugnantium numero, sed Imperato-  
 ris atq<sup>2</sup> militum uirtute, constare insignes  
 uictorias. Sic ala una equitū, & quatuor  
 peditum Germanorū cohortibus, post edo-  
 mitam

mitam Hassniam Daniæ regum permu-  
 nitam sedem supra quindecim Scandia-  
 norum millia, bis eodem die diuersis locis  
 acie victor, ducibus captis, prostigasti. Quo  
 felici rerum successu, & pacis fundamen-  
 ta à te iacta sunt, & Borealis nobilitatis  
 attritus, laceratusq<sup>2</sup>, sub Christierno II. im-  
 manis crudelitatis Rege, splendor & tran-  
 quillitas reuixit. Nam hinc eius spes, qua  
 ad regna Septentrionalia respiciebat, ex  
 fuga, in quam se coniecerat, scelerum ul-  
 tricibus diris consciam mentem impel-  
 lentibus, planè imminuta fractaq<sup>2</sup>, aditus  
 uerò ad regni fastigium patefactus fuit o-  
 ptimo Principi tuo Friderico, Holsatiæ  
 Duci. In quo ille iuste, clementer pieq<sup>2</sup>, usq<sup>2</sup>  
 que ad uitæ exitum uersatus, & subdito-  
 rum de se expectationi undiquaq<sup>2</sup> satisfacit,  
 & fidei meritorumq<sup>2</sup> tuorum magni-  
 tudinem regia liberalitate agnouit. Ab  
 eius è rebus humanis excessu, cum noui  
 popula,

popularium motus per Daniam excitas  
 ventur, & Lubecensium quidam, rerum  
 nouandarum studiosi, inopinato se in pa-  
 triam tuā cadibus atq; incendijs late effun-  
 derent: Auctor Principi tuo Christiano,  
 Friderici filio, Holsatiae Duci fuisti, ut in-  
 ter initia Lubecam inuaderet. Quod cum  
 te duce administrari iussisset, id dexteri-  
 tate consiliorum, atq; actionum tuarum  
 celeritate, consequutus es, Ut Lubecenses,  
 fuis fugatisq; ad Oetinum eorum copijs,  
 non modo ad soluendam Segebergensis ca-  
 stri obsidionem, sed Trauemunda atq; na-  
 uibus aliquot captis, urbeq; ipsa obsessa,  
 cum belli sumptus, & dilabentem merci-  
 moniorum quæstum, ferre ciues diutius,  
 aut non possent, aut non uellent, certam  
 pacem sperata uictoria præferre malue-  
 rint. Quæ eò liberalius afflictis concessa  
 fuit, te Cymbricos motus coercente, quò ma-  
 gis Principis atq; patriæ tuæ interfuit, ui-  
 cinam

cinam hanc flammam restingui, & tot  
 simul enascentium hostium vires diduci.  
 Nam factiosorum quorundam Danorū  
 motus, Albertus Megalopolitanus Dux,  
 & Christophorus Oldenburgensis Comes,  
 iustis exercitibus tuebantur, Hassnia re-  
 gali munitioribus que locis occupatis: quo-  
 rum vires, per Baltici maris insulas dif-  
 fusas, cum sigillatim adoriundas cēsisses,  
 idq<sup>3</sup> tuum salutare consilium Christianus  
 Princeps approbasset, per continentem  
 traductis copijs, primò Cymbricos lutas for-  
 liciter aggressus, Alborgo vi expugnato,  
 ac deletis aduersariarū partium copijs, re-  
 ductisq<sup>3</sup> in ordinem sacrorū Papistiorū  
 nonnullis præsulibus, qui se homini-  
 bus, nouandarum rerum studiosis, du-  
 ces autores que præbuerant, non mini-  
 mum Danici regni tractum Principi  
 tuo conciliasti. Proxima erat Fionia, ubi  
 ualido hostium præsidio Assense oppidū  
 teneba-

tenebatur, & cum iusto exercitu Germanorum illustres Comites, Iohānes ab Hoya & M. à Techelnborch, aliq̄ strenui alarum atq̄ cohortium Duces excubabant. At tu nihil hostium potentia territus, traiecto mari, cum obsidionem Assenij strenuè cœpisses, incumbētibus eius solutioni Comitibus, laudabilius existimasti, producto in patentes campos milite, præly aleam subire, quàm intra castrorum munitiones obsessi præbere speciem. Itaque cum iusta acie, loco ab hostium præsidio editiore, confligeres, insigni victoria, quæ comitem utrūq̄ multosq̄ fortes viros absumpsit, eoq̄ arridentis fortunæ progressu tota insula potitus es. Hinc in Selandiam itum, in qua expugnatis propugnaculis, et subditis pacatis, restabat una Hassnia regum sedes. Ea tum illustrium virorū atque veterani Germanici militi præsidio, cum suis munitionibus aduersus omnē vim



uim insigniter armata, fame subigenda  
 fuit. Quod post XIII. obsidionis Men-  
 sem fœliciter cessit, eoq̄ maiorem Principis  
 tuo clemētiae atq̄ moderationis gloriam  
 peperit, quò ille indulgentius ad Sagunti-  
 nam ( ut aiunt ) famem adactis, dimisso  
 sine noxa praesidio eiusq̄ Ducibus, igno-  
 uit. Hac uia Christianus Princeps, uerè  
 Christianus, cum seditiosis hominibus Da-  
 niam purgasset, diademate Regio procerū  
 consensu ornatus, per omnem uitam con-  
 silia actionesq̄ suas, maximo subditorum  
 commodo & gratulatione, eò retulit, ut lu-  
 strico nomini essent cōsentanea. Qua ex-  
 cellenti uirtute perpetuaq̄ fœlicitate im-  
 pulsus Carolus Caesar, qui alieniore à Chri-  
 stiano Rege animo, ob Christierni sororij  
 sui custodiam, liberis eius incitantibus, e-  
 rat, potius te paucisq̄ alyis actoribus cum  
 illo in gratiam redire, quàm huius defor-  
 matam scelestissimorum delictorum tur-  
 pitudin.

pitudine causam persequi uoluit. Sic aucto  
 confirmatoq; Principis tui imperio, cum  
 iam sexagenarius ab aula ad quietem re-  
 spiceres, à liuidorum oculis atque dentibus  
 semoueri tuus recessus tam longè non po-  
 tuit, quin absentis gratia apud optimum  
 regem attrectaretur. Quod tu eò nobiliori  
 proposito negligendum existimasti, quò cer-  
 tius statuebas, gratissimi beneuolentissimiq;  
 Regis animo, tot aduersis prosperè spectata  
 cum extremo uitæ discrimine fidem, inte-  
 gritatemq; tuam, maleuolorum obrecta-  
 tionibus eximi nunquam posse. Neq; tua  
 te fefellit opinio, quando decedente corporis  
 uigore, te solita gratia complexus, Frideri-  
 co filio, Regi designato, ingenuè commenda-  
 uit. Quem à patris morte, cum patruis lo-  
 hanne & Adolpho, Holsatiæ Ducibus, in  
 Diuhmarsos gentem ferocem, & hæcenus  
 pro inuicta habitam, vindicantem, cano  
 & penè septuagenario capite securus, dela-

tum communi Principum consensu Ma-  
 gisterij equitum munus, ut modesta aetatis  
 excusatione declinare uoluisti, ita strenue  
 postulantibus Principibus susceptum tu-  
 tatus es, nunquam pristini uigoris robore  
 intermisso, sed eius secundissimi belli laude  
 sicut libenter & merito ad Regis atq; Du-  
 cum gloriam refers, qui utiliter consulendo,  
 atq; fortiter pugnando, clarissimorum He-  
 roum munera impleuerunt: ita uicissim  
 tuam, tot antea uictorijs partam Laureã,  
 hoc clementiae encomio ex eo bello non in-  
 uiti reddent ornatiorem, quod supra quin-  
 gentos Duthmarfos, qui aduersum te in a-  
 cie constiterant, cum proiectis armis extre-  
 ma experiri non uellent, nonnullis eos ad  
 necem poscentibus, humaniore animi de-  
 creto uiuos incolumesq; conseruasti, cum  
 eorum sang. in intercepti olim si atris ma-  
 nibus urare potuisses. Cuius facti memoria  
 ingravescenti nunc aetati tuae eo dulcior pro-  
 culdubio

culdubio est, quò magis perpetuum animi  
 tui propositum, nunquam mercenaria ex-  
 ternorum militia, sed uni patriæ eiusq̄ le-  
 gitimis Principibus, ea moderatione obstri-  
 ctum, ut uictricis manus robora clementi  
 erga prostratos indulgētia pro merito tem-  
 perares hoc uelut extremo actu confirma-  
 re es uisus. Igitur ætatis ueniam legitimo  
 iure consecutus, uiue in posterum, tot ex-  
 haustis fœliciter belli laboribus, diu fœlix  
 atque incolumis, in tuis priuatis ædibus:  
 quarum alteras Bredenbergi, perductis ius-  
 tis munitionibus atq̄ propugnaculis, solo  
 depresso ad Scorã, reciproco æstu fluctuan-  
 tem, alteras Italica elegantia imitatione  
 Bothcampij, editiore specula ad lacū Bisse-  
 num, magno sumptu excitasti: & inter  
 grauissimas consultationes, quibus presen-  
 tem animi uigorem, cum suo Genio, tum  
 diligenti rerum obseruatione, ad circum-  
 specti iudicij acumen perductum, Regi

Principibusq<sup>2</sup> tuis fideliter impertis, te re-  
rum gestarum recordatione, & fecunda  
ex tribus liberis nepotum neptium' que so-  
bole oblecta. Quos ut uirtutis tuae amula-  
tione, digna te patre auoq<sup>2</sup>, sectari atq<sup>3</sup> con-  
sequi uideas, utq<sup>3</sup> transcurso mortalis uita  
spacio, pie sancteq<sup>3</sup> ad beatorū sedem hinc  
emigres, id tibi concedat inexhausta boni-  
tatis & clementiae numen aeternum.

A M E N.

EPI.

EPITAPHIVM STRE-  
 NVI ET NOBILISSIMI VI-  
 ri, Iohannis Rantzouij, equitis Holsatis  
 quod ei in primaria æde oppidi Itzo-  
 hoæ à pijsimis filijs in sempiternam  
 memoriam collocatum, marmo-  
 riq; incisum est.

**I**ohanni Rantzouio nobili Hol-  
 sato, qui post susceptū balthei  
 militaris decus, & perlustra-  
 tas remotissimarum gentium  
 prouincias, quantum pacis belliq; artibus,  
 omnibusq; corporis atq; animi eximijs bo-  
 nis eniti potuit, id omne secundum pietatē  
 in Deum, uni patriæ eiusq; laudatissimis  
 Principibus, Friderico I. Christiano III.  
 & Friderico II. Danorum ex ordine Re-  
 gibus, huiusq; patruis, Iohanni & Adol-  
 pho Holsatiæ ducibus impendit, felicissimo  
 euentu, utpote summus cum iusto impe-  
 rio Dux, exortis subinde bellis destinatus,  
 t 3 sem-

semper uictor, qui præter copias deditasq;  
 urbes atq; arces, profligatos eiectosq; procul  
 Cymbricis & Holsaticis finibus hostes, in  
 ordinem redactos Papisticorum sacrorum  
 seditiosos antistites, rebelliumque Dith-  
 marforum contusam & fractam armis  
 cõumaciam, octies patentibus in campis,  
 diuersis prælijs superatas hostiles acies, uel  
 ab ipsius indulgentia, uel à fœda fuga uitã  
 coegerit impetrare, illustri & fidei erga  
 patriam eiusq; Principes, & clementia er-  
 ga uictos gloria, quam ad fatalem maturã  
 senectutis horã sine fortuna ludibrio per-  
 duxit, sicq; domi suã, ætatis uenitã nactus,  
 omnib. animi sensibus integris, in charissi-  
 ma cõiugis, filiorũ atq; nepotũ complexu,  
 æterno numini spiritũ, à quo acceperat, fir-  
 ma in Christum fide, & certa resurrectionis  
 spe confirmatus, reddidit, Hæricus &  
 Paulus filij, parẽti cariss. mæretes posuere.  
 Obijt Anno Dom. 1565. Die 12. Men-  
 sis Decẽb. Cũ uixisset annos 73. et Mēs. 1.

IN TVMVLVM EIVS-  
dem equitis clarissimi.

**H**ic sita RANTZowij sunt frigida membra 10-  
HANNIS,

Inclita cui uirtus nomen equestre dedit.

Qui diadema tribus, procerum statuente Senatu,

Regibus Arctois imposuit manibus.

CHRISTERNI pepulitq; duces uirtute secundi,

Eiecit regni sedibus eiq; tribus.

Quid referam Comites, populos, domitiosq; tot urbes?

Bis redyt caso uictor ab hoste quater.

Dania testis erit, bello concussa Lubeca,

Hoc duce qua capta est, Hassnia testis erit.

Naucleriq; feros compescuit ille tumultus,

Intulit & rigidis signa tremenda iustis.

Ille, armis frustra toties bellisq; petitos,

Tempore Dithmarsos contudit exiguo.

Quemq; ferox multis Dithmarsia fuderat annis,

Cymbrorum index sanguinis ille fuit.

Singula quid referam? nil non laudabile fecit,

Consilio felix, Marte togaq; fuit,

Aspice multa Deo, primo sub flore iuuenta,

Pro patria gessit, multaq; bella senex.

Et charus patriae, charis iucundus amicis:

Hostibus aduersis sic metuendus erat.

Quid struatis aedes memorem, magnoq; labore

Conditam magnanimi tot monumenta uiri?

Qui licet exhaustus senio sua fata subibat,



Visa tamen patria est mors properata nimis.  
 Hoc duce qua caret, & quondam fortasse carebit:  
 Quod tamen in uentos omen abire uelim.  
 Adde quod & mansit, iam succedente senecta,  
 Corporis integritas ingenijq; uigor.  
 Vnde futurarum prudentia maxima rerum,  
 Perpetuo constans iudiciumq; fuit.  
 At postquam cursum, dederant quem fata, peregit,  
 Defecit casto coniugis in gremio.  
 Terrores metuens nullos, solatia sensit  
 In CHRISTO moriens iustificante fide.  
 Vita uale, dixit, spes & fortuna ualete:  
 Lubrica uos, uera est nunc mihi par ta quies.

DE OBITU IOHANNIS RANT  
 zouij, equitis aurati, ex Cancellaria  
 Regis Daniæ.

Cvm placido uita mutasset tempora fato  
 IOHANNES heu Rantzouius,  
 Luxerunt nati, coniunx, Holsatica tellus.  
 Vno ore plangentes patrem.  
 Mars tumulo imposuit laurum, Ronamq; trophæumq;  
 Et hostibus demptas opes.  
 Pax etiam, aut concors huic, aut contraria Maris  
 Amantem laudauit sui.  
 Fama hinc dispergens latè ore manuq; secuta est  
 Virtutum testimonia.  
 Qualiter hunc igitur uixisse per tabimus annis

Lustrorum bis septem & tribus?  
 Tot namq; hic iixit, quem Mars, Pax, Fama, percipituro  
 Requirit, laudent, offerant.  
 Et pia cum natis coniunx iuduata marito,  
 Et patria lugeant patrem.

IN TVMVLVM EIVSDEM.

C Onditur hoc tumulo rara pietate IOHAN-  
 NES

R ANTONIUS, claro stemate natus, Eques.  
 Regibus imposuit tribus hic diadema superbis,  
 Fertile Danorum qui coluere solum.  
 Et seua iniussit Christernum bella mouentem,  
 Sedibus auertit Marte potente tribus.  
 Frena recusantes multas compescuit urbes,  
 Submisitq; ducum colla superba iugo.  
 Dania sepe eius norat fortissima nomen,  
 Sensit & illius pulcra Lubeca manus.  
 Qua tulit illius Schonungia signa triumphis,  
 Oetinum & pariter terra Fionia refert.  
 Est & adhuc memor hostilis Iudlandia cladis,  
 Nauclerum domuit qua sua dextra trucem.  
 Omne testis & est pugnans Dithmarsia nuper  
 Infauisto, cuius mœnia uicta iacent.  
 Sic felix fuit & sortem se præstitit, ut cum  
 Consereret uictor bis quater hoste manus.  
 Quid referam mores mixtos grauitate decora?  
 Quid, quod erat iunctum cum bonitate decus?

*Integer ipse fuit maculis non oblitus ullis,  
 Atq; tulit sortem, qualiter illa fuit.  
 Consilys populum dubitantem iuuit honestis,  
 Iuuit & afflictos pro bonitate viros.  
 Rebus in ambiguis uultus non sumpsit acerbos,  
 Nec fato elatus prosperiore fuit.  
 Sed mens illius certo deducta tenore,  
 Quod fuit ante pedes, excutiebat opus.  
 Hinc sua clara uiget gestarum gloria rerum,  
 Omnibus ipsius est cognita fama locis.  
 Sed postquam senio confectus & obsitus annis  
 Sensit se uita continuasse uiam,  
 Speq; fideq; Deo certus constanter adhesit,  
 Et sic uoce pia, cum moreretur, ait,  
 Reddam animam Christo, mea pignora cara ualete,  
 Et tu me gremio suscipe, Christe, tuo.*

VERSVS CONTINENS NUME-  
 rum anni, quo obiit IOHANNES Rant-  
 zouius, Eques auratus.

*Tempore quo Verè sibi It sua fata Iohannes  
 Rantzoſius, Verſus Denotat exlgvvs.*

QVERELA STORÆ  
 fluuij.

**R**iuule cur præter solitum tuus humor abundat  
 Dic Stora? lucidulam quis tibi turbat a-  
 quam?

RANT-

*RANTZOUJ* miserum me tristia funera turbant,  
 Cresco ego de lachrymis perditus ipse meis.  
 Ille erat heu summi uiuens mihi causa decoris,  
 Ille mihi moriens abstulit omne decus.  
 Ne mihi quis lympham uiolaret, condidit arcem  
 Me prope depresso, Palladis arte, solo.  
 Extinctum plangant Pax & cum Marte Minerva,  
 Relligio, Charites, Cymbrica terra patrem.

EPITAPHIUM EIVSDEM.

**Q**uae Lector celsis insignia iuncta columnis,  
 Quaeq; opera è Pario marmore facta uides,  
 Incluta *RANTZOUJ* sunt haec monumenta  
 Iohannis,

Frigida defuncti sub quibus ossa cubant.  
 Hic dum uiuebat nulli uirtute secundus,  
 Militis aurati nomen adeptus erat.  
 Nam firmi uegetus iuuenis cum corporis esset,  
 Ingenij sensit munera magna sui.  
 Per uarios populos longinquaq; climata terra  
 Immensum ad Solymas per mare fecit iter.  
 Vnde illi rerum prudentia magna parata est,  
 Ut posset patria commodus esse sua.  
 Cum Danica primus Fridericus sceptrum teneret,  
 Edita sunt fidei plurima signa sua.  
 Post ea felici Clementem Marte repressit,  
 Iustica cum fureret se ditione cohors.  
 Obsidione premens Aleburgica moenia, ciues

Rex Christiane tuo subdidit imperio.  
 Christophori Comitum dum rura Fionia miles  
 Vastaret, victrix hic quoque, dextra fuit.  
 Hassnia cum nollet clausis se dedere portis,  
 Miles in hac præstans obsidione fuit.  
 Sebanica Meiero deuicta fera agmina capto  
 Compulit & domini subdere colla iugo.  
 Extera furore streperent cum bella tumultu,  
 Strenuus audaces mouit ad arma manus.  
 Publica res timidis tremuit quando anxia curis,  
 Consilio patriæ profuit ille sua.  
 Seu res consilij fuerat seu Marte gerenda,  
 Regibus ille suis instar Achatidis erat.  
 Nobile Rantzouicum generoso à stemmate nomen  
 Nobilissimis factis reddidit ille suis.  
 Bis septem lustris quum tres adiunxerat annos,  
 Vitaque iam finem cepit habere suum,  
 Pressa graui senio gemerent cum membra dolore,  
 In Christo moriens leniter occubuit.

ALIUD EPITAPHIUM EIVSDEM.  
 in quo primum Distichon continet annum  
 Christi, quo obiit, & primæ literæ  
 maiusculæ nomen  
 autoris.

**H**OLSATIE RANTZOU DECVS & VITTELA IOHANNES  
 HVC POSTVS, LAVDIS VIX POLVS IPSE  
 CAPAX.

I mberbi Solymas mento qui uenit in oras,  
 Rettulit aurata militia q̄ decus.  
 Nec non Christano, Fridericis atq; duobus,  
 Tradidit Arctoi scepra regenda soli.  
 Rectori quod erant Atrida Nestor Achilles q̄,  
 Id tribus his solus regibus ille fuit.  
 Illius est fractus Christernus fortibus armis,  
 Cederet ut regnis Marte cadente tribus.  
 Christophorum profugo stantem pro rege ducem q̄  
 Albertum, nigri qui bonis ora gerit,  
 P̄ asta instaurati renouantes bella Gradiui,  
 Ad regis constat procubuisse pedes.  
 Sensit q̄ infelix inuictas Hafnia uires,  
 Illius auspicijs Hafnia capta pijs.  
 R̄strata memorare potest quis praelia classis  
 Pro tanti dignè conditione ducis?  
 Alta sed emense referam uestigia uite,  
 Et quoties hostis copia strata feri.  
 Noribus ingenti uenit obuius agmine primum,  
 Est ubi Scandiaci grandis eremus agri.  
 Trita uidens socy sed Otho Stigefenijs arma,  
 Hic uno, dixit, bina trophæa die?  
 Sunt etiam nobis uires, uel præstet Achillem:  
 At iux intuitus terga pudenda dedit.  
 Obstetit & Marcus Meyer, cum dira moueret,  
 Quatuor in partes is laceratus obst.  
 P̄ dus adhuc Octinus habet fera signa cruoris,  
 Casorum varijs ossibus albet humus.  
 P̄ estifer hos sequitur Nauclerus in ordine quartus,

*Sucessum & vires sperat habere suis.*  
*At non Holsaticus cedens, nec territus Heros,*  
*Obuia uictrici tendit ad arma manu,*  
*Turbatum superatq; Ducem stringitq; catenis,*  
*Firma procul muris non Aleburga tuis.*  
*Regali donat scepro, plumboq; coronat,*  
*Tunc ubi supplicij afficiendus erat.*  
*Infaustos etiam Comites extendit arena,*  
*Hic ubi Taurinus mons iuga celsus habet.*  
*Formidata olim totis Dithmarsia regnis*  
*Hoc duce principibus colla preinenda dedit.*  
*Et quamuis ualidis pugnarit fortiter armis,*  
*In tribus est tandem uicta cruore locis.*  
*Cetera quae restant Sophocleao digna cothurno,*  
*Cantet cum claris Holsata terra Danis.*  
*Ipsè Deus uerò talem uilescere gemmam*  
*Non passus, cœli traxit ad astra uagi.*

DE ARMIS IOHANNIS RANT-  
 zouij, equitis aurati, quorum suam par-  
 tem Henricus, &c. Rantz. filius,  
 donauit fratri Paulo.

**D**iuidere arma patris cum uellent bellica natis  
 Corpore quae proprio gesserat ipse suo,  
 Mars chypeum abiicit, dixitq; ò parcite natis  
 Parcite, in his aliquid Mars quoq; iuris habet.  
 Quae toties genitor defendit ab hostibus arma,  
 Turpe, ea si natis diripiantur, erit.

*Integra, dante Deo, post tristia fata manebunt,*

*Vt sacra, dum iuxit, tutaq; semper erant.*

*Ergo dedit Paulo, fraterni pignus amoris,*

*Henricus partem, Marte monente, suam.*

*Exoptatq; armis cum laude utatur ysdem,*

*His usus genitor qualiter ante fuit.*

Q U E R E L A   A N N A E   R A N Z O -  
 uij in funere eiusdem dilectiss. coniugis  
 sui, incomparabilis uirtute herois, incisa la-  
 pidi sepulchri, quod in piam patri memo-  
 riam grati filij in templo primario oppi-  
 di Itzohœ statuerunt.

**C**onjugis Anna sui cum cōderet ossa sepulchro,

*Hæc ait, in lachrymas tota soluta pius:*

*Si mihi non tecum licuit, uir, ponere uitam,*

*Mox, tamen intereunt ni mea uota, sequar.*

*Et precor, ut placide coniuncti iuimus ambo,*

*Sic quoq; Cœlesti nos beet arce Deus.*



DE SEPULTURA ET  
 EXEQVIIS FVNEBRIBVS  
 eiusdem nobilissimi equitis, Iohannis  
 Ranzouij, appendix, per Chri-  
 stophorum Kellinghausen  
 Hamburgensem.



VM de præclarissimi heroïs,  
 cum illustri uita curriculo re-  
 busque fortiter gestis, tum  
 placida & beata ex hac mun-  
 di colluuiæ emigratione, multa superius lu-  
 culenter commemorata sint: id unum te,  
 humanissime Lector, desiderare amplius  
 posse existimaui, quod disertè illic explica-  
 tum non erat, quæ is funeris pompa & ho-  
 nore ad sepulturam iatus, quoq; splendore  
 & magnificentia iusta ei facta essent. De  
 qua re, quoniam ea quoq; ut reliqua, ho-  
 norificentissima ipsi meritò contigerunt,  
 quàm potero paucis, dicã. Nam cum an-  
 nis

nis iam tribus septuagenario prouectior, et  
 ipso pragrauantis aetatis senio debilitatus,  
 & lenta morbi diuturni tabe confectus,  
 integris planè uniuersis & immotis animi  
 sensibus de arummosa hac uita, obitu sanè  
 perquam tranquillo & pio, discederet: in-  
 ter cetera plurima, quae prudenter pie que  
 admodum & munificè, se satis functo per-  
 agenda, testatus constituit, & illud filijs,  
 quos omnino duos paternae uirtutis & glo-  
 riae emulos reliquit, praeceperat: ut se post  
 mortem illatum maiorum sepulchro, quo  
 & pater & auus, & proauus & abauus,  
 conditi quietem sanctam in Domino age-  
 rent, in oppido propinquo Itzohoa tumula-  
 rent. Quia uero grassabatur tunc eo in op-  
 pido uehementer pestis (ut & in alijs ple-  
 risq; Germaniae locis et oppidis) qua multi  
 indies mortales mortem obiret, ne ppinquos  
 suos, gentiles et amicos ad honestadum fu-  
 nus eum in locum accerferent, quem iusto

metu propter uitæ periculum adire omnes  
 formidare poterāt, tandiu id differre, seq̃  
 in eadem proximam deponere, quoad pesti-  
 lens contagio illic serpere & seuire omni-  
 no desisset, iusserat. Quod supremum dul-  
 cissimi parentis mandatum, ut ei post obi-  
 tum quoq̃ morem gererent, quem uiuentē  
 amore summo complexi, mira cum pie-  
 tate & obseruantia obsequentissimè sem-  
 per coluissent, fideliter quoque & solerter  
 sunt executi filij. Exemptis enim intesti-  
 nis, arculaq̃ ex plumbo seorsum conditis,  
 exenteratum primū cadauer opobalsa-  
 moq̃ inunctum, & fragrantibus aromatis,  
 molli intersperso Anglici filii tomento, ef-  
 fartum, deinde sarcophago item plumbeo  
 querno intecto ligno compositum, in eade  
 paræciali pagi Bredenberga (quam colla-  
 psam ipse olim restituerat, & donarijs ele-  
 gantiq̃ ex edificata turri pio liberaliq̃ a-  
 r. mo exornauerat) latericia extructa do-  
 muncula

muncula deposuerunt. Ubi cum in tertium  
 iam mensem supra annum constitisset, mi-  
 tescente magis magisque in oppido lue, ad  
 principes & ciuitates finitimas, ad agna-  
 tos, necessarios et amicos, literas dederunt,  
 ut in colliculum imminentem oppido pri-  
 die Calendas Martias conuenire, & dedus-  
 cendo funeri interesse pompa uellent. Quo  
 adueniente tempore, alter filiorum maior  
 natus Henricus Ranzouius, regius in Hol-  
 satia uicarius (nam Paulus iunior frater  
 cum illustrissimo principe Adolpho ad  
 obsidionem arcis Gotha profectus, ex ne-  
 cessaria ea causa parentalibus adesse non  
 poterat) cum familiaribus nonnullis biduo  
 ante ad templum sese conferens, ubi in adi-  
 cula clausum funus custodiebatur, ea ef-  
 fracta, post habitam funebrem ab eius a-  
 dis presbytero Nicolao Vinterbergio ora-  
 tionem, cum per fenestellam stanneam, qua  
 eum in usum in loculo erat, faciem defuncti

charissimi parentis, desiderio etiamnum  
 nimio uix lachrymis temperans, supremū  
 contuitus esset, & aliquot eius imaguncu-  
 las ex argento conflato in auratas inieci-  
 set: id serici uillosi atro intectum uelami-  
 ne, & arca impositum, in castrum suum  
 Bredenberga secum auexit. In quod, pra-  
 cedentibus cum faculis nepotibus, & ho-  
 norifica insequente pompa, illatum, in cu-  
 biculum pullato undiq; panno instratu ue-  
 latumq;, accensis circum funalibus, phere-  
 tro collocauit. Huc postridie eius diei E-  
 berhardus ab Holle, Lubecensium & Ver-  
 densium praesul & Henrici affinis, uir spe-  
 tabilis eoq; honoris fastigio longe dignissi-  
 mus, cum honesto & mediocri comitatu  
 aduenit, aliq; item nonnulli nobiles uiri,  
 ut funeri efferendo interessent: qui hono-  
 rifice omnes excepti & tractati splendide,  
 noctem ibi unam cum suis egerunt. In ses-  
 quenti die, qui exequijs praefinitus calendae  
 Martiae

Martias antecedebat, elatum cubiculo in  
 uehiculū idem, quo fuerat aduectū, pullo  
 integumēto obductū collocauerūt: & alijs  
 nonnullis pone legētibus eius uestigia currib.  
 quib. mæstissima coniux nurusq̄ gemina,  
 cū numerosa & pulchra nepotū neptiūq̄,  
 sobole, & agnatæ quadam sæminæ uehe-  
 bantur, satellitibus stipatū undiquaq̄ cir-  
 cumcursantibus, ita in oppidum inducia  
 tur. Interea Henricus RanZouius cum an-  
 tistite, & quibusdam agnatione proximio-  
 ribus, amplaq̄ ministrorum familia, lugis-  
 bri omnes habitu, pullis ex syndone peplis  
 à pileis in terga defluentibus, equorumq̄  
 ephippijs atratis stragulis operis, in collem  
 oppido propinquum contenderunt: quo  
 principum ciuitatumq̄ legati, propinqui,  
 gentiles & amici, præclari omnes & nobi-  
 les uiri, magno numero confluxerāt. Qui-  
 bus in corona circumfistentibus Henricus  
 illustri & facunda oratione amplissimè

gratias egit, quòd in locum illum ad diem  
 dictum rogati promptè accessissent, utq̃  
 ad reliqua exequialis eius honoris & cele-  
 britatis solennia peragenda, supremam et  
 piam, paternis manibus secum operã præ-  
 stare, & ijs finitis epulo funebri interesse  
 non grauaentur, perhumaniter perq̃ a-  
 manter rogauit. Inde ternis simul binis ue-  
 iunctim equitantibus, composito decenter  
 ordine currum, quo funus deferebatur, cõ-  
 sectati, longo agmine (nam trecenti ferme  
 erant, qui equis uehebantur) lentoq̃ &  
 moderato equorum gradu, sensim & ma-  
 gnificè oppido adequitarunt. Quod ingres-  
 si, ubi in ades atratas undiq̃ & funalibus  
 collucentes (quas magnificus heros per am-  
 plas sibi et splendidas olim extruxerat) fu-  
 nus deposuissent, in hospitia per oppidum  
 pleriq̃ dilapsi sunt, ut equis in stabula tra-  
 ditis singuli ad cohonestandam funeris  
 pompã redirent. Sub idem præterea iēpus  
 curribus

curribus frequentibus, quorū supra quin-  
 quaginta fuisse constat, ingens fœminarū  
 uirginumq; nobilium turba aduecta est:  
 quæ cunctæ pro regionis more, ut funus co-  
 mitarentur, candidis lineis uelamentis ca-  
 pita obuolutæ, quæ inde per scapulas utras-  
 que licenter errantia dependebant, sese per  
 ornauerant. Earum complures ad defun-  
 cti equitis coniugem Annam, ex uetusta  
 & clara Valstorpiorum gente prudentis-  
 simam honoratissimam, que fœminam, se-  
 se conferentes, quæ iisdem in adibus ad fu-  
 nus uiri mœsta atq; adeo exanimata ferè  
 luctu morabatur, largifluis opplentib. uula-  
 tum lachrymis, & ingenti animi dolore  
 intercipiente spiritum, eam uerbis aman-  
 ter et diligenter consolata sunt. Quæ dum  
 fierent, interim æra campana in adibus sa-  
 cris, cum in oppido, tum in uicinis circum-  
 quaq; pagis parœcialibus, nusquam cessa-  
 bant: quibus & oppidum ipsum, et omnis



circum uicinia late personuit. Caterum ubi efferendo funeri destinata aduenit hora, illud serico uilloso nigro obductum seni eiusdem gentis & stemmatis, præstantes omnes animis & uiribus nobiles uiri, succollantes in humeros pheretro sustulerunt, et lento graui que incessu, dum subinde obnimum plumbei lignei que loculi pondus, furcis perticis que transuerso subiectis, subsistere cogerentur, in templum eius oppidi primarium, diuo Laurentio martyri dicatum, deduxerunt, longo honoratissimo que & precedentium & comitantium agmine. Imprimis ex ludo literario pueri de more antecedebant, lugubres cantiones uernacula Latina que lingua alternatim decantantes, quibus nunc gaudium, nunc tristitiam auscultantium animis iufundebant. Eos uerbi diuini mystæ & interpretes in oppido & pagis finitimis insequuntur, quibus sacrata supra quadraginta ex nobi-

nobilitate uirgines, eiusdem cœnobij conti-  
 gui templo alumna, candido omnes ami-  
 etu ( ut eius secta mos & instituta ferūt )  
 succedebant, & ipsa temperatis uocibus  
 suauiter funere præcinētes. Hinc ministri  
 uniuersi Henrici, habitu obscuro & tristi  
 funalia manibus gestantes, ingrediebātur:  
 eorum uestigia calcabant nouem è duobus  
 filijs nepotes, deducētibz præceptoribus,  
 & ipsi cereos grandiusculos, quibus cōuer-  
 sagentis Ranzouia insignia ( ut cæteris fu-  
 nalibus cunctis ) appensa spectabantur, fu-  
 neri auito præferentes. Inde proximè ante  
 loculum absolutæ nigredinis equus unico-  
 lor, pullato terram radente stragulo, à ui-  
 cari regij puero sessore segniter adigeba-  
 tur. Sequebatur uerò longe honestissimus  
 illustrum & ornatissimorum uirorum  
 comitatus, quibus unus omnibus habitus  
 atratus & lugubris erat. In his nobilissimis  
 grauissimique uiri, legati Friderici II.

*Daniae regis, trium Holsatiae principum,  
 Iohannis senioris atq; iunioris & Adol-  
 phi, reuerendus amplissimusq; Lubecen-  
 sium & Verdensium antistes, legati comi-  
 tis Schouenburgij, ciuitatumq; Lubecen-  
 sium & Hamburgensiu, conspiciebatur.  
 Aderant ex gentilitia stirpe Ranxouioru  
 prognati plures pauciores ue triginta, uiri  
 prope omnes emeriti, & prisca rerum ge-  
 staru memoria florentes, & aetate canisq;  
 decoris uenerandi. Na quos ex nobilitate  
 omni Holsatica florenti aeo integer ad-  
 huc & uiuidus, ad praecleara eximia uirtu-  
 tis praemia & ornamenta consecranda ca-  
 piendaq; sanguis aiebat, eorum pars mul-  
 to maxima ad obsidionem arcis Gotha, ab  
 illustri magnanimoq; duce Adolpho euo-  
 cata, sub pellibus & uelis canabeis in ca-  
 stris excubabat. Qua expedito cum in i-  
 dem forte tempus incidisset, effecit, ut ra-  
 riores uiroru nobilium, quam accessissent  
 alioqui,*

alioqui, pompa huic exequiali interessent:  
 cum præterea complures quoq; in Dania  
 Friderico regi contra Suecum iam pridem  
 militarent. Sed nobilium tamen eiusdem  
 conditionis numerus, qui funus sectati sunt,  
 trecentos circiter nihilo minus adæquavit.  
 Post nobilitatem succedebat oppidi senatus  
 ciuesq; honoratiores, quos ex pagis circum  
 quaq; finitimis coloni longo ordine inse  
 quentes agmen claudebat. Nec longo hinc  
 intercedente interuallo, frequēs elegantis  
 simaq; scæminarum nobilium spectabatur  
 series, quæ & ipsa pro regionis more habi  
 tu funebri, ut dictum est, præcedentium  
 uirorum pompam comitabantur: eas que  
 inter eminent, luctu que & mærore propè  
 confecta, clarissimi equitis coniunx, cum  
 nuru utraq; et neptibus pluribus, omnium  
 oculos in se uertebat. Ubi iam in camite  
 rium uentum est, circuito ter de more tem  
 plo funus intulerunt, id que media in ade

ante suggestum, ex quo conciones sacra ad  
populum haberi solent, sub machinula li-  
gnea instar adiculae fabrefacta cancella-  
taq, quae undiquaq, defixis cereis collucen-  
tibus ardebat, constituerunt. Exinde fini-  
tis cantionibus usitatis & solennibus, ora-  
tionem funebrem habuit eius adis oppidis  
que presbyter summus, D. Iohannes Vor-  
stius, quem praepositum uulgò uocant, uir  
pietate & doctrina senio' que uenerabilis.  
Qui dum peroraret, funus ex eo loco suc-  
cedentium nobilium humeris sublatum,  
& ad latus australe chori prope clathros,  
quo loco maiores eius complures tumulati  
sunt, ut & lapides impositi eorum' que ins-  
criptiones, & ara ab iisdem inibi Sanctae  
indiuinae Trinitati dicata, abundè re-  
stantur, in sepulchrum arcuatum, quod  
pij grati' que filij, cum in sempiternam cha-  
rissimi parentis memoriam, tum propriū  
& perpetuum familiae suae monumentum  
haud leuibus impensis pulcherrimum edi-

ficarant, depositum est. Id supra reliquam  
 pavementi tribus ferè ulnis, gibbo expolito  
 leuigatoq; candido lapide porrecto & u-  
 trinq; redacto, altius assurgēs, cui insignia  
 gentis artificiose eleganter que incisa, &  
 coloribus distincta, quoquo uersus latera  
 exornant, uiuas supernè utriusq; parentis  
 quasi recubantis imagines, niueo marmo-  
 re affabrè effictas, spectantibus ostendit.

Eodem quoq; loco passim Epitaphia &  
 elogia, quæ hoc libro continentur, lapidi-  
 bus in columnas parietem que immixtis  
 incisa insculptaq; de uita cursu rebus que  
 gestis, tam præstantis & spectatissimi in-  
 clyta uirtute uiri, lectores erudiunt. Ac  
 peractis ritè & solenniter in ade sacra ce-  
 remonijs cunctis, hinc ad conuiuium fune-  
 bre discessum est: quod magna lectissimo-  
 rum conuiuarum frequentia, & splendo-  
 re ac munificentia, ut tanti uiri exequijs  
 conueniebat, summa celebratum est. Ae-  
 ris quoq; plurimum in pauperes distribu-

tum, & larga alijs alijsq<sup>3</sup>, & quæ pater mo-  
 riens passim & à se nuncupatis donari  
 mandauerat, & quæ his filiorum insuper  
 adiecit liberalitas, munera præbita sunt.  
 Quibus per dies aliquot, ut mos est, agita-  
 tis, uniuersi inde, post actas utriusq<sup>3</sup> prolixè  
 decenterq<sup>3</sup> gratias, in sua discesserunt. Ita  
 qui placide beateq<sup>3</sup> de instabilis huius uita,  
 quam omnem præclaram fortunatãq<sup>3</sup>  
 exegit, præsidio et statione discesserat: qui  
 immortalẽ meritis illustribus ubiq<sup>3</sup> ter-  
 rarum de se famam & gloriam excitauerat:  
 qui spectata & sempiterna egregia at-  
 que inuicta uirtutis monumenta posteris  
 moriens reliquerat: honestissimam quoq<sup>3</sup>  
 caduci atq<sup>3</sup> emortui cadaueris sepulturã,  
 iustãq<sup>3</sup> & exequias se dignas, hoc extremũ  
 honoris & officij defuncto parenti in mœ-  
 rore & luctu maximo pijsimis filijs tri-  
 buentibus, cumulatè consecutus est. Quod  
 equidem ipsum ad reliquam eius in uita  
 felicitatem, qua nõ sine admiratione ma-

gna, occulto quodam conspirantium syde-  
 rum favore ac consensu, uel potius effusa  
 atq; constanti diuini numinis, rectissimã  
 mentem gubernantis adiuuantisq; beni-  
 gnitate atq; clementia, ad extremum usq;  
 halicum perpetua usus est, quasi coronã  
 dem seu colophonem aptissimè congruen-  
 tem, accessisse arbitror: ut, qui in uita pro-  
 spera gloriosaq; omnia habuisset, nec hoc  
 extremo mortalibus præstari solito honore  
 ac munere careret. Etsi enim sunt, qui se-  
 pulchra iacturam leuem ducant, quando  
 ex quocunq; terræ operculo tantũdem ad  
 superos itineris esse pijs creditur: & multi  
 præstantissimi uiri, & æternus ob compro-  
 batam factis uirtutem laudum præconijs  
 celebrati, uel in teterrimis carceribus agri-  
 tudine & squalore consumpti sint: uel pi-  
 sces in undis obruti agitatiq; fluctibus pa-  
 uerint: uel in puluere cænoq; patente sub  
 dio à uermibus ferisq; immitibus laniati  
 deuoratiq; sint: alijs ue indignis extincti



*supplicijs passim & miserè cōputruerint: ij tamen ipsi honestum post mortem sepulchrum haud adèò aspernantur, quin, si contingat, ingens bonum: sin denegetur à fortuna, leuiter ferendum esse statuunt. Omnes certè mortales, praestantibus & magnis ingenijs praediti, illud potissimum in uotis habent, ut tranquillo & praclaro uitae exitu diem suum extremum claudant, exempti que uiuis tumulto, uti supremo corporis humani receptaculo, donatae que post exhaustos uitae labores quietis sede, honestè contegantur. Nam & sanctissimos illos uiros, quos antiquissimis saeculis, ob summam uitae innocentiam ac religionem, Deo per charos fuisse sacrae literae testantur, iam morituros uel impietatis praecipisse posteris suis legimus, ut obita morte cadauera sua sepulchris, uel à se ipsis uel maioribus suis constructis, honorificè inferrent atq; deponerent.*

## EPITAPHIVM, IN QVO

IPSE MAGNANIMVS ET

Spectatissimus heros, Iohannes

Ranzouius, loquitur: au

ctore eodem.

**D**VM licuit uoluitq; Deus, mihi uita placebat  
Lubrica, nunc mors est non grauis ipsa mihi.

Sed patrie forsán nimis immatura uidetur,

Semper uiuenti quæ mihi chara fuit.

Pro qua non timui terraq; mariq; labores,

Et propè præsentem letus adire necem,

Illam meam nunc forsán opem deserta requirit,

Sæpius in magnis qua fuit usa malis.

At mihi quo pacto nimum properata senectus

Absciderit uite stamina pulla meæ?

Naturæ (quodcunq; datum) satis est mihi uixi:

Sic etate grauis perfero fata lubens.

Namq; quotis æuum iam tot producitur annos,

Quot mihi præscripta uiuere lege datum?

Et uitæ satis, ad laudem quod sufficit, egi,

Nec perijt uirtus nostra caduca nimis.

Gloria per totum mea iam percrebuit orbem,

Quæ radijs cincti solis aditur equis.

Illam superstes erit, donec benefacta probare,

Supplicijsq; malos subdere, moris erit.

Sic merui, uirtute bonam dum profero famam,

Et mihi pars uitæ nulla labore caret.  
 At dulces utinam moucant mea facta nepotes,  
 Vt fieri similes aut superare iuuet.  
 Nondum etiam horrebant prima lanugine male,  
 Cùm functo fatis arma parente tuli.  
 Hinc lubuit procul amotas inuisere terras,  
 Et magni uarios orbis adire situs.  
 Visa mihi tellus, quam flauus arare Britannus,  
 Lædere quam ferro fuscus Iberus amat:  
 Quam molles habitant Itali, Cretesq; Syriq;  
 Quam gentes Asiæ Martis amore truces.  
 Ad Solymas sacras fortunatumq; sepulchrum,  
 Sum meritis nactus nomen equestre meis.  
 Hoc etiam feci pulchris illustrius ausis,  
 Et decus extendi Marte togaq; meum.  
 Nam patriam claros repetens per Teutonas oram,  
 Gessi uictrici fortia bella manu.  
 Et uia quas longinqua mihi patefecerat artes,  
 His patriæ cœpi commodus esse meæ.  
 Ipsa mihi testis meritorum Dania pugnae,  
 Quam lata profert ius ditione suum.  
 Nouit & Oceanus meæ Balihicus inclita facta,  
 Creuerit ut fuso sæpe cruore rubens.  
 Virtutemq; meam merito complexa fauore,  
 Quæ mihi natalis Cimbrica terra fuit.  
 Hanc quoq; cum damno mirata bis Hafnia capta:  
 Principibus sedes Hafnia grata suis.  
 Cognouitq; potens opibusq; uirisq; Lubeca,  
 Eminent Arctoo quæ decus alta solo.

Nec secus hanc cum clade sua Dithmarsia sensit,  
 Cum subiit iustum me duce uicta iugum.  
 Et tamen est quod uicta mihi quoq; debeat ultra,  
 Vita quod est multis uoce redempta mea.  
 Sic operam tribus impendi pro regibus omnem,  
 Sub gelido regnum qui tenuere polo.  
 Et charæ uigilans patriæ ducibusq; dicaui,  
 In me quicquid opis consilijq; fuit.  
 Hinc opibus partis, patriæ natale subiuit  
 His quoq; collatis amplificare decus.  
 Impensisq; duas construxi grandibus arces,  
 Quas soboles æqua nunc mea sorte tenet.  
 His precor utantur post sæcula multa nepotes,  
 Et mea contentur fortia facta sequi.  
 Hac fragilis uitæ cursum ratione peregi,  
 Sic obij mortem sustineoq; lubens.  
 Deposuit tumba corpus mortale quiescit,  
 Spiritus in sancta sede perennis agit.

## ERRATA TYPOGRAPHICA.

Primus numerus paginam, secundus uersum indicat.

Pag. 30. uers. 15. regioni contigua In Genealogia, pro Chitonij leo  
 ge Chilonij & distingue inter Oesel & Churland 74. uer. pen.  
 parte 99. 11 parte 103. 18 de uita 115. 18 Pauld 117. 8 omnis  
 129. 16 praefectura 136. uer. pen. si suspensionem 142. 9 Ei 143. 19 et  
 seq. delecto: totius 154. 4 nunciauit hostes in stationem 162. uer.  
 antep. ad arada 176. uers. antep. eum 205. 4 nouem 247. uer.  
 ult. Qua 250. 7 diplomate 257. 16 honorifica 275. 14 contem-  
 tis 282. uer. ult. satietatem 290. 6 intermisso. Sed 308. 8 arcera  
 313. 5 funeri 317. 2 pauimenti planiciem

Reliqua sunt admodum pauca & leuiora, ut inter legenda  
 dum facile emendari queant.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.